

QUATENUS  
APUD SALLUSTIUM  
SERMONIS LATINI PLEBEJI AUT COTIDIANI  
VESTIGIA APPAREANT

—  
Coulommiers. — Imp. P. ERDARD et GALLOIS.  
—

H.F.u.s.81<sup>6</sup> (56.2.)  
QUATENUS

# APUD SALLUSTIUM

SERMONIS LATINI PLEBEJI AUT COTIDIANI

VESTIGIA APPAREANT

THESIM


PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIISIENSI

ISAAC URINORUS

EIUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS  
UNIVERSITATIS AGGREGATUS IN ORDINE GRAMMATICÆ



*Bibliothèque Albert Dumont dictae  
Cerberus-Janitor*




PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET C<sup>o</sup>

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1885



PPN 062724614

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

LONDON

Printed by

1679

Printed by

1679

ERUDITISSIMO ET ORNATISSIMO

OTHONI RIEMANN

In Schola normali magistro

BENEFICII MEMOR  
HOC QUALECUMQUE MUNUS

D. D. D.

I. U.

UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 309

LECTURE NOTES

1952-53

J. D.

QUATENUS  
APUD SALLUSTIUM

SERMONIS LATINI PLEBEJI AUT COTIDIANI

VESTIGIA APPAREANT

---

PROŒMIUM

Mirum sane videbitur me, post tot disputationes quæ de Sallustiano dicendi genere scriptæ sunt, præsertim post thesim quam Ludovicus Constans<sup>1</sup>, vir doctissimus, facultati litterarum parisiensi paucos abhinc annos proposuit, ad eandem disserendi materiam animum intendere. Sed quamvis videatur quicquid ad Sallustianum sermonem attinet disceptationibus quasi exhaustum esse, novissime quædam apparuit quæstio quam accurate perspicere non superfluit.

Agitur num apud Sallustium sermonis latini plebeji aut cotidiani vestigia notare liceat.

1. De sermone Sallustiano, Lutetiae Parisiorum, 1879.

I

Nemini dubium est quin gravissimum aliquid aggrediamur. Si enim inspicias quot et quam variis disputationibus hoc locum dederit, si ab ultima temporum memoria rem repetes, animadvertendum tibi erit jam ea ipsa ætate, qua litteræ quasi de tenebris exhibant, qua viri insignes summo studio veterum scriptis indulgebant, eos ad hanc quæstionem nostram mentem convertisse. Nam inter se acerrime disceptaverunt utrum vulgus et litterati eodem modo per Terentii Tullique tempora Romæ locuti sint, « an latinus sermo, veterum Romanorum tempore, omnibus fuerit promiscuus ».

FRANCISCI FLORIDI SABINI *lectiones subsicivæ* (lib. II, cap. 1). — LEONARDI BRUNI ARRETINI *epistula Flavio Foroliviensi scripta* (Epist., lib. VI, *Pars secunda*, p. 62, Florentiæ, ed. 1741). — POGGII FLORENTINI *Historia con- vivalis utrum priscis Romanis latina lingua omnibus communis fuerit, an alia quædam doctorum virorum, alia plebis et vulgi* (Basil., 1538, fol. p. 32 sqq.) probant quam acriter pro utraque sententia certatum sit. Mox autem, post eas disputationes, dilucidum fuit, haud aliter atque apud ceteras gentes, apud Romanos politum sermonem a plebejo diversum fuisse. Tum eruditiores omnem dederunt operam ut veram ejus sermonis indolem illustrarent. Pihlmann <sup>1</sup>, Heumann <sup>2</sup> et postea Fer-

1. Pihlmannii Romanus bilinguis, sive dissertatio de differentia linguæ plebejæ et rusticæ tempore Augusti a sermone honestiore hominum urbanorum Upsal. oct.

2. Heumanni programma de orationis latinæ idiotismis sive de lati-

dinandus Winckelmann <sup>1</sup> rem attentissime perpende-  
runt.

Sed quantum nobis judicare licet ex Winckelmannii  
dissertatione (quam solam perlegere nobis promptum  
fuit), eis temporibus nondum quæstio, quam tractare  
nobis propositum est, veram speciem suam præ se gessit.

Sermonem latinum plebejum aut cotidianum aptius  
et commodius fuit cognoscere, primum cum accuratius  
latinae inscriptiones inspectæ fuerunt, deinde cum vete-  
rum comicorum poetarum sermonem melius dijudicare  
licuit. RITSCHELII opera non eo tantum contulerunt ut  
Plauti fabulas a corruptelarum sordibus purgarent, sed  
etiam ut earum sermonem illustrarent. Tum demum  
apparuit magnum, etsi imperfectum, GUILIELMI HOLTZII  
opus quod inscribitur : *Syntaxis prisorum scriptorum  
latinorum usque ad Terentium* (Lipsiæ, 1861-1862), quod-  
que nuper, post mortem Holtzii, absolutum fuit per  
libellum : *Syntaxis fragmentorum scænicorum poetarum  
romanorum, qui post Terentium fuerunt, adumbratio*  
1882). Quæ autem scripta ad summam totius (Lipsiæ,  
comicorum sermonis pertinebant. Rem penitus inspex-  
runt SCHMILINSKY, in libello : *De proprietate sermonis  
Plautini* (Halle, 1865), OTTO LORENZ, JULIUS BRIX in  
Plauti fabularum editionibus, haud aliter ac SPENGLER in  
Terentii editione; qui omnes non omiserunt quo minus  
notarent quicquid in his fabulis ex cotidiano sermone  
sumptum esse videbatur.

nitate plebeja ævi Ciceroniani. Vid. Pœcile, t. III, p. 307. Götting. 1726.

Add. Pagendarmi dissertationem de lingua Romanorum rustica.  
Ien. 1735.

1. Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik. Suppl. 2. 1833,  
p. 493 sqq.

Inde eruditorum virorum mentes sese converterunt in scriptores, qui vergentis latinitatis ætate vixerunt, præsertim in Petronium.

Cujus enim sermonem plebejum adumbravit LUDWIG, in libello : *De Petronii sermone plebejo* (1869).

Eodem tempore HERMANNUS RÖNSCH vulgarem linguam, præcipue apud Ecclesiæ scriptores, tractavit in opere suo :

*Itala und Vulgata das Sprachidiom der urchristlichen Itala und der katholischen Vulgata unter Berücksichtigung der römischen Volkssprache* (Marburg, 1875).

Sed si eo tempore jam indoles sermonis latini plebeji notabatur, hæc studia latius patuerunt cum REBLING, non neglegens quicquid antea de ea quæstione scriptum erat, luculentissimam scripsit dissertationem : *Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache* (Kiel, 1873), cujus altera editio anno 1882 apparuit.

Non hic quidem sibi proposuit ut vulgaria quæque colligeret, nec varios Italorum sermones, rusticam linguam illustraret, sed, ipsis latinitatis monumentis fretus et latinitatis ipsius causa, quicquid ad sermonem cotidianum, in quo Romani versati sunt, pertinebat et orationi politæ alienum erat, in unum contulit.

Ejus vestigiis institit EDUARDUS WÖLFFLIN, vir sagacissimus, qui tanta auctoritate haud immerito valuit ut quasi princeps et dux omnibus iis exstiterit qui de sermone vulgari disseruerunt. Gravissimum linguis romanice officium præstare sibi proposuit, et acutissimo ingenio aperuit quantum non modo comici poetæ, sed etiam vel optimæ latinitatis scriptores ad sermonis latini vulgaris aut cotidiani notitiam conferre possint. Quam senten-

tiam exemplis confirmavit et exposuit in hoc scripto :  
*Bemerkungen zum Vulgärlatein* <sup>1</sup>.

Hoc opus quasi exemplar omnibus iis apparuit qui postea sermonis plebeji vestigia indagaverunt. Ceterum non defuerunt qui subtili Wölfflinii commentatione excitati et impulsivi sint ad eadem studia ineunda.

Inter commentationes, quæ de sermone vulgari aut cotidiano scriptæ sunt, ordine alphabetico proferre placet :

DEGENHART : *De auctoris belli Hispaniensis elocutione et fide* (Wurzburg, 1877).

GUERICKE : *De linguæ vulgaris reliquiis apud Petronium et in inscriptionibus parietariis Pompejanis*, 1875.

H. HELLMUTH : *De sermonis proprietatibus quæ in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur* (Acta seminarii philologici Erlangensis. Erlangæ, 1878, p. 101 sqq.).

KÖHLER : *De auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate* (Acta seminarii philologici Erlangensis, 1877, I, p. 367-476).

GUSTAV LANDGRAF : *Bemerkungen zum sermo cotidianus in den Briefen Ciceros und an Cicero* (Blätter für das Bayerische Gymnasial- und Realschulwesen. Sechzehnter Band. München, 1880, p. 274-280; p. 317-331).

G. LANDGRAF : *De Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sexto Roscio Amerino conspicua*, 1879.

SCHMALZ : *Ueber den Sprachgebrauch der nichtciceronischen Briefe in den Ciceronischen Briefsammlungen* (Zeitschrift für das Gymnasialwesen herausgegeben von H. Kern und H. J. Müller. 35 Jahrgang. Berlin, 1881, p. 87-141).

SCHMALZ : *Ueber den Sprachgebrauch des Asinius Pollio in den bei Cicero ad Fam. X, 31-33 erhaltenen Briefen mit Berücksichtigung der bei Quintilian, Seneca, etc., überlieferten Fragmente aus dessen Reden und Geschichtsbüchern* (in Festschrift zur XXXVI Versammlung deutscher Philologen

1. Vide Philologum XXXIV, p. 137 sqq.

und Schulmänner zu Karlsruhe in den Tagen vom 27-30 september 1882. Karlsruhe, 1882).

STINNER : *De eo quo Cicero in epistulis usus est sermone*, 1879.

STÜNKEL : *De Varroniana verborum formatione*, 1875.

PHILIPP THIELMANN : *De sermonis proprietatibus, quæ leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris*. (Dissert. phil. Argenterat., 1879, p. 347 sqq.).

PHILIPP THIELMANN : *Stilistische Bemerkungen zu den Jugendwerken Ciceros* (Blätter für das Bayerische Gymnasial- und Realwesen, redigiert von Dr. W. Bauer und Dr. A. Kurz. Sechzehnter Band. München, 1880, p. 202-213, p. 332-339).

WÖLFFLIN : *Ueber die Latinität des Afrikaners Cassius Felix*. (Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen und historischen Klasse der K. B. Akademie der Wissenschaften zu München. 1879, p. 4 sqq.).

Non tantum illa quæstio nostra commentationes movit quas supra commemoravimus, sed etiam vel ii qui veterum scriptorum opera nuper ediderunt, non semel vestigia sermonis latini plebeji aut cotidiani notaverunt. Proferamus tantum Sallustii editionem quæ Schmalzio debetur, et Livii quæ ex Riemann et Eugenii Benoist<sup>1</sup> communi opera evasit.

Hac igitur brevi expositione clarissime probatur non parvi momenti esse quæstionem quæ in se tot tamque doctorum virorum animos converterit. Digna est quæ apud nostrates tractetur<sup>2</sup>.

Sed quam ob causam nobis inquirere propositum est num apud Sallustium sermonis latini plebeji aut cotidiani vestigia appareant?

1. Titi Livii libri XXI-XXV, Paris. Hachette. 1881-1883.

2. Jam illud scriptum erat cum Henricus Gælzer, vir doctissimus et mihi amicissimus, hanc disputationem facultati litterarum parisiensi proposuit : « *Grammaticæ in Sulpicium Severum observationes potissimum ad vulgarem latinum sermonem pertinentes.* » Parisiis, 1883.

II

In sagaci commentatione de qua supra diximus, quæque « Bemerkungen zum Vulgärlatein » inscribitur <sup>1</sup>, Eduardus Wölfflin, postquam fontes indicavit, unde sermonis latini « vulgaris » notitia duci potest, in eorum numerum Sallustium ipsum reponit et sententiam suam iis fere verbis exprimit <sup>2</sup> :

« Quod ad Sallustium pertinet, inquit, plerique solent archaicum habere quod singulare ac novum videtur, quamvis satius fuisset id sermoni latino vulgari assignatum esse. Quæ in primis occurrunt in Sallustii opere de Catilinæ conjuratione, quod primum Sallustius scripsit, nonnunquam etiam in Bello Jugurthino, rarius autem in ultimo ejusdem scriptoris et absolutissimo opere, scilicet in Historiis.

« Interdum credere licet Sallustium, eo quod ipsi *copia verborum* deesset impulsus esse ut locutionibus uteretur, quas vitare debuisset. »

Quam sententiam Eduardus Wölfflin exemplis confirmat <sup>3</sup> :

1. Vid. pag. 5.

2. Philolog. XXXIV, p. 146 : « Bei Sallust ist man gewohnt jede auffällige Eigenthümlichkeit als archaismus zu taufen, während man oft eser thäte von vulgären Demokratenlatein zu sprechen. Diese Schwächen betreffen namentlich den Catilina, die Erstlingsschrift Sallusts, theilweise auch noch den Jugurtha, am wenigsten sein letztes und vollendetstes Werk, die Historien. Manchmal möchte man glauben er habe, um abzuwechseln, weil ihm die volle *copia verborum* noch nicht zu Gebote stand, sich zu Ausdrücken verleiten lassen, die er besser ganz vermieden hätte. »

3. « Wenn Sallust dreimal in Catilina 22. 24. 52. *popularis conjurationis* und *sceleris* verbindet, doch schon Jug. 33 *socius sceleris* verbessert..... und sich in der Folge jene Anwendung des Wortes versagt, so

« Cum Sallustius ter in *Catilina* 22, 24, 52 *popularis conjurationis et sceleris* jungit, in *Jugurthino* autem bello 33 *socius sceleris* scribit, et postea locutionem illam respuit, Dietschius jam opinatur *popularis* in vita cotidiana multo latius patuisse quam apud classicos scriptores. Etenim eodem modo illud vocabulum usurpavit Terentius Eun. 1031 et Donat. ad Ter. Ad. 2, 1, 1 recte interpretatus est: *popularitas in omnis rei consortium sumitur*. Annotandus est etiam frequentior usus verbi *negotium* = *res*. Vid. Jug. 56 *quod negotium poscebat*; 58 *infecto negotio*; 107 *ut in tali negotio*; et, ad id, post id *locorum, postea loci* Kritzius sermoni vulgari assignat, quod plurimis exemplis, non tantum ex archaicae aetatis scriptoribus, sed etiam ex Tertulliano *de pallio* 4. *tunc locorum*, Apulejo etc. ductis, confirmari potest. Cf. quoque *negito* Jug. 111 cum Horat. *Epist.* 1, 16, 49 ».

Wölfflin igitur censet non sermonis latini « vulgaris » aut cotidiani vestigia apud Sallustium deesse.

Cujus rei illustrandae cupidus, K. KRAUT thesim scripsit quae sic inscribitur: *Ueber das vulgäre Element in der Sprache des Sallustius* <sup>1</sup>.

Krautii commentatio non pauca affert quae « vul-

vermuthete schon Dietsch, *popularis* werde im gewöhnlichen Leben eine weitere Bedeutung gehabt haben, als bei den Classicern. Wirklich gebraucht so Terenz, Eun., 1031, und Donat. zum Terenz. Ad. 2. 1. 1, erklärt richtig: *popularitas in omnis rei consortium sumitur*. Der ausgehnte Gebrauch von *negotium* = *res*. z. B. Jug. 56 *quod negotium poscebat*, 58 *infecto negotio*, 107 *ut in tali negotio*, auch Redensarten wie Jug. 1. 4, 6, 2, gehören gleichfalls hieher; und in *ad id, post id locorum, postea loci* witterte bereits Kritz zu Jug. 63 den *usus sermonis vulgaris*, der durch zahlreiche Parallelstellen nicht nur aus archaischer Zeit (Tertullian, *de pallio*, 4 *tunc locorum*, Apul. u. a.), ausser Zweifel gestellt wird. Vgl. auch *negito*, Jug. 111, mit Hor. *Epist.* 1, 16, 49. »

1. Programm des Königlich württembergischen evangelisch-theologischen seminars in Blaubeuren. Blaubeuren. 1881.

garia » habeat quod ad formas, orthographiam, declinationem, et conjugationem, syntaxin et verborum copiam attinet. Eandem sententiam apud Krautium atque apud Eduardum Wölfflin invenimus.

Non autem inter omnes constat Sallustium ex sermone plebejo quicquam sibi assumpsisse.

HENRICUS JORDAN in optimo opere : *Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache* (Berlin, 1879), se Wölfflinii sententiæ non participem esse profitetur. « Facile quidem ait ac promptum esse ex Sallustio locutiones colligi quæ nihil Ciceronianum habeant. Num vero probant Sallustium plebejo more scripsisse? Wölfflin aliquid gravissimum movit, cum inquisit quam rationem litteræ cum rerum civilium sermone habeant. Sed ne minima quidem cum plebe hic res est, nec quisquam magis a plebejo sermone abhorret quam iste urbanus vir qui civilibus fluctibus submersus fuit, sed suæ ætatis mores ac vitia quasi flagello insectatus est <sup>1</sup> ».

Duæ igitur inter se diversæ sententiæ adsunt. Inquirere nostrum est qui recte sentiant, iine qui, ut Wölfflin et præsertim Krautius, Sallustium opinantur ex sermone vulgari non pauca in sermonem suum transtulisse, an ii qui, haud aliter ac Jordan, nullum existimant apud Sallustium sermonis latini plebeji aut cotidiani vestigium apparere.

1. P. 355 : « Eine Sammlung unciceronischer Ausdrücke lässt sich aus Sallust leicht zusammenbringen : aber beweisen sie dass er vulgär oder demokratisch geschrieben hat? Wölfflin hat eine sehr wichtige Seite, den Einfluss der politischen Sprache auf die Litteratur berührt; aber mit der Demokratie hat dieser Einfluss nichts zu thun und vom Vulgären ist wohl Niemand entfernter als dieser zwar im politischen Leben gescheiterte.... nur die Gebrechen seiner Zeit sarkastisch geiselnnde Weltmann. »

III

Quam quæstionem aggressuro mihi non auxilia defuerunt.

Primum quod ad Sallustii scripturam pertinet, potissimum Jordani editione (Berolini, 1876) et Jacobsii (Berolini, 1881) usi sumus, sed non R. Lallier <sup>1</sup> (Lutetiæ Parisiorum, 1883) et Schmalzii (Gothæ, 1882) editiones negleximus, unde sæpius non parvos fructus percepimus; nec destitimus cum Kritzii (Lipsiæ, 1853) et Dietschii (Lipsiæ, 1846) editionibus quasi comparationem instituire. Illud de Catilinæ conjuratione et de Bello Jugurthino. Quod autem ad Sallustii Historias attinet, præcipue Kritzii opus nobis profuit, non Dietschii editione omissa. Perlegimus deinde commentationes, quas supra memoravimus, quæque omnes multum ad sermonis latini « vulgaris » quæstionem explanandam conferunt; disputationes evolvimus, quæ de Sallustiano dicendi genere scriptæ sunt, inter quasque annotandæ sunt :

ANSCHÜTZ : *Selecta capita de syntaxi Sallustiana* (Halis, 1873).

BALDSTÜBNER : *De Sallustii genere dicendi commentatio* (Berolini, 1863).

BRÜNNERT : *De Sallustio imitatore Catonis Sisennæ aliorumque veterum historicorum romanorum* (Ienæ, 1873).

L. CONSTANS : *De Sermone Sallustiano* (Lutetiæ, 1879).

DELTOUR : *De Sallustio Catonis imitatore* (Parisiis, 1859).

D<sup>r</sup> RICHARD JONAS : *Zum Gebrauch der verba frequentativa und intensiva in der älteren lateinischen Prosa* (Cato, Varro, Sallust). Posen, 1879.

1. Quem mors immatura nobis eripuit, cujusque amicissimum nomen nunquam e memoria nostra excidet.

Addendum vero nunc est nos grammaticæ libros ver-  
savisse qui proposito nostro prodesse potuerunt.

Inter illos nobis proferre liceat :

#### De orthographia.

W. CORSEN : *Vokalismus, Aussprache und Betonung der lateinischen Sprache* (2<sup>e</sup> éd., Lipsiæ, 1868-1870, 2 vol.).

BRAMBACH : *Neugestaltung der lateinischen Orthographie*, 1868.

SCHUCHARDT : *Vokalismus des Vulgärlateins* (Lipsiæ, 1867).

#### De formis.

FRIEDRICH NEUE : *Formenlehre der lateinischen Sprache* (2<sup>e</sup> éd., Berlin, 1877, 3 vol.).

#### De syntaxi.

D<sup>r</sup> A. DRÄGER : *Historische Syntax der lateinischen Sprache* (2<sup>e</sup> éd., Leipzig, 1878-1881).


G. W. GOSSRAU : *Lateinische Sprachlehre* (2<sup>e</sup> éd. Quedlinburg, 1880).

RAPHAEL KÜHNER : *Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache* (Hannover, 1877-1878).

O. RIEMANN : *Etudes sur la langue et la grammaire de Tite-Live* (Paris, 1879).

Quæ autem auxilia parum profuissent, nisi semper doctissimis OTHONIS RIEMANN, viri eruditissimi, consiliis fretus fuisset. Me ejus beneficii nunquam immemorem futurum esse pro certo habeat. Grates quoque mihi agere liceat EUGENIO BENOIST, optimo et ornatissimo magistro meo qui viæ hujus ineundæ quasi dux fuit, qui etiam bibliothecæ suæ opes mihi liberalissime commodavit.

His expositis, rem ipsam, quantum in nobis est, inspiciamus.



## PARS PRIMA

---

### CAPUT I

QUID DE SERMONE LATINO, QUI « VULGARIS » VOCATUR,  
SENTIENDUM SIT?

Cum totam latinæ linguæ historiam complecti libet, occurrit animo eam, priusquam Romanis sese Græci immiscuerint et a Græcia victa vinci cœpti sint Romani, diu rudem et incultam diuque scriptoribus totique populo promiscuam fuisse. Sed, progredientibus litteris, scriptores quasi suum sibi sermonem creaverunt, et intentius seposuerunt quicquid a cultiore sermone abhorrere videbatur<sup>1</sup>; delectum verborum iudicaverunt originem esse eloquentiæ, et Ciceronis præceptis paruerunt « ... verba efferamus ea, quæ nemo jure reprehendat, et ea sic et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut præposterum sit<sup>2</sup>. »

Duo igitur sermonis genera exstiterunt : alterum politum et scriptoribus familiare, alterum inconditum et

1. Cf. Bernhardy : *Römische Literaturgeschichte*, p. 239.

2. Vid. *de Orat.*, III, 41, 40, ed. Piderit.

plebi proprium. Quibus ex indiciis hoc agnoscī potest? Quid plebejum vel, ut plerumque dici solet, vulgare nobis habendum est?

Omnibus iis, qui, Wölfflinio duce et auctore, in hac quæstione explananda versati sunt, clarissime apparuit ex variis scribendi generibus varia dicendi genera effluxisse, et scriptores quosdam, vel florentissima latinitatis ætate, politæ orationis leges interdum neglexisse <sup>1</sup>.

Ex scribendi generibus, quæ nunc memoramus, maxime sermonis vulgaris imaginem comicæ referunt fabulæ. Cotidianum enim sermonem imitari nituntur comici. Namque, cum eo spectent ut plebem delectent et recreent, nonne res ipsa fert iis familiarem esse eum sermonem quem vel abjectissima plebs usurpat? Nonne opem dare debent ut a plebe optime intellegantur? Inde tot locutiones, tot dicendi formulæ a grammaticæ legibus alienæ. Adde quod, cum apud Romanos, nascentibus litteris, præcipue viguerit comædia, non mirum est, nescio quid rude in lingua nonnunquam apparere.

Haud aliter ac comædiæ, epistulico dicendi generi sermo plebejus aut cotidianus proprius est ac peculiaris. In epistula quadam, quam Pæto scribit <sup>2</sup>, Cicero ipse ait : « *Verum tamen quid tibi ego in epistulis videor? Nonne plebejo sermone agere tecum? Quid enim simile habet epistula aut iudicio aut contioni..... epistulas vero cotidianis verbis texere solemus.* » Non melius tradi documentum potest quo probetur epistulis sermonem alium, alia verba propria esse ac ceteris scribendi generibus.

Item sese res habet, quod ad satiram pertinet. Ea,

1. Hic Wölfflinii sententiam adumbrare nitimur.

2. *Ep. ad Fam.* 9, 21.

salibus ornata, non vulgarem sermonem respuit. Testes adsunt non tantum Lucilii satiræ, quæ vel Romanis inconditæ et rudes esse videbantur, sed etiam Horatii <sup>1</sup>, in quas libenter plurima accepit quæ quasi de industria e ceteris carminibus suis amovit.

Ea autem scribendi genera solutiorem sermonem, ut ita dicam, secum ferunt. Sunt etiam historica scripta quæ nemo non fateatur sermonis vulgaris imaginem referre. De scriptis agitur, quæ *de Bello Africano* et *de Bello Hispaniensi* inscribuntur, quorumque sermo tot tamque insolitis vitiis inficitur ut inurbanis scriptoribus assignata sint <sup>2</sup>.

Si nunc ex scriptis ad scriptores ipsos, quibus sermonis vulgaris usus non displicuit, mentem convertimus, videmus non defuisse qui ex eo sermone non pauca mutuati sint.

Non memorare necesse est scriptores quorum ipsum scribendi genus illum usum accepit, Plautum ac Terentium et ceteros fabularum auctores, Lucilium et Horatium in satiris, Ciceronem in epistulis. Præter eos, sunt qui, studio singulari impuls, a puro sermone non semel declinaverint, tanquam ab æqualibus suis diversi esse niterentur. Varronem quidem dicere volumus. Varro enim, ut ait Dræger <sup>3</sup>, si temporum tantum ratio habenda est, inter classicos scriptores reponendus est; verba autem, quibus sententiam exprimit, minime curat; ar-

1. Vide doctissimam Adolphi Waltz thesim: *Des variations de la langue et de la métrique d'Horace dans ses différents ouvrages*. Paris, 1881, p. 41-59.

2. Vid. de iis scriptis commentationes quas supra (p. 3) commemoravimus. Add. Nipperdeii ad Cæsaris commentarios præfationem, scilicet Quæstiones Cæsarianas p. 24 sqq. et Fröhlichii libellum: *Das bellum Africanum sprachlich und historisch behandelt*. Brugg, 1872.

3. Vid. Dräger: *Hist. synt. der lat. Sprache*. Vorrede XVI-XVII.

chaïsmos affectat et sæpius ejus sermo plebejus est.

Nullus autem scriptor magis in hoc vitium incidit quam Vitruvius qui, haud aliter ac si architecti ipsum munus hoc afferret, Augusti ætate, *quod parum ad regulam artis grammaticæ fuerit explicatum*<sup>1</sup> non respuit. Ut Bernhardy<sup>2</sup> ait, Vitruvius parum verba diligit; immo haud aliter ac faber loquitur, et sæpius plebejo more quid sentiat proferat. Apud eum, ut exemplis utamur, vocabula occurrunt, quæ frustra apud bonos scriptores requiras: *nullibi*<sup>3</sup>, *faciliter*<sup>4</sup>, *errationes*<sup>5</sup>, *expertiones*<sup>6</sup>, *responsus*<sup>7</sup>, *commensus*<sup>8</sup>, *deformatio*<sup>9</sup>, *membratura*<sup>10</sup>, *calefaciuntur*<sup>11</sup>, *nocentur*<sup>12</sup>.

Non igitur eadem sermonis puritas et elegantia omnibus scriptoribus, si florentissimam latinitatis ætatem tantum intuemur, communis est. Quid dicam de scriptoribus, qui, ut Petronius<sup>13</sup> et postea ut Apulejus<sup>14</sup>, cum sermo magis magisque corrumpebatur, vixerunt et priorum scriptorum imitationem affectare cogebantur? Eorum in scriptis non pauca apparent quæ sermonem vulgarem indicent.

1. Vitr. præf., 11,2 (ex indice Nohlii. Teubner, 1875).

2. *Röm. Lit.*, p. 903. Cf. Winckelmannii sententiam, *op. cit.*, p. 497.

3. Vitr., 7, 4.

4. Vitr., 7,25. 10,12. 16,26. 34,56. 38,9. 44,27. 132,19. 144,8. 150,1. 152,17. 154,4. 168,24. 246,16. 253,11. 254,13. 262,5. 276,22. 279,14.

5. Vitr., 172,21.

6. Vitr., 204,24.

7. Vitr., 42,4. 46.

8. Vitr., 45,25. 31,3. 65,21. 25. 66,13. 68,19. 138,27. 103,21. 134,11. 138,23.

9. Vitr., 235,19.

10. Vitr., 204,26.

11. Vitr., 125,14.

12. Vitr., 45,22.

13. Vid. Ludwig *de Petronii sermone plebejo*. Lipsiæ, 1871.—Cf. Bernhardy: *Römische Literaturgeschichte*, p. 649.

14. Vid. Heinrich Koziol: *der Stil des L. Apulejus*. Wien, 1872, p. 310, 311.

Satis autem nobis sit hoc spectatum ac probatum esse scriptores quosdam, cum polita ac perfecta oratio esset, non sermonis usum vulgaris abjecisse.

Inde Wölfflinius rationem ac viam traxit qua sermonis « vulgaris » vestigia in lucem proferrentur.

Wölfflinius igitur censet<sup>1</sup> in forma quadam aut in vocabulo vulgare aliquid inesse, quotiescumque ea forma vel id vocabulum aut apud puros scriptores deest, aut apud scriptores qui sermonis vulgaris usum receperunt, scilicet apud Catullum, in Ciceronis epistulis, in scriptis de Bello Africano, de Bello Hispaniensi, in Horatii satiris et epistulis, apud Vitruvium, Petronium, et interdum apud Persium et Juvenalem, apparet. Si quid dubium sit, comparatione opinatur rem explanandam esse.

Hac agendi ratione usos esse plerosque eorum, qui de sermone vulgari disseruerunt, nobis occurrit.

Nobis autem profiteri liceat illam viam cautius sequendam esse, quam non dico quidem a Wölfflinio, sed a plerisque eorum, qui ejus studiis ad idem disputationum genus tractandum impulsus sunt, hactenus occupata est.

Si apud scriptores quosdam apparet aliquid quod eo suspectius esse videtur, quo rarius in latinis exemplaribus occurrat, non mihi perspicuum est hoc sermoni vulgari assignandum esse. Cum enim de latinæ linguæ historia agitur, semper hoc primum in mentem veniat nobis monumenta pauciora tradita esse iis quæ Romanis adscribi possunt. Quamobrem, si quid singulare apud quosdam scriptores apparet, non perspicuum est hoc optimæ latinitati contrarium esse. Nescio an<sup>2</sup>, si plura

1. Vid. Philol. XXXIV, p. 149-150.

2. Acutissimi et desideratissimi viri Caroli Thurot, sententiam hie  
URI.

veterum scripta nobis tradita essent, sententia statim sit mutanda; et id ipsum quod nobis abnorme vel rarum nunc esse videtur, forsitan in Romanorum consuetudine versatum esse judicemus. Ne certius igitur habeamus quodecumque iis in rebus asseritur.

Haud aliter modus superatur, si quis, postquam sæpissime hoc aut illud sive in fabulis, sive in epistulis, sive in satiris notavit, et hoc idem in operibus invenit quæ accuratius scribi videntur, hoc ex sermone plebejo assumptum esse contendit. Sunt quædam quæ plebi familiaria esse possint, quæ autem non ideo vel ab optimo dicendi genere abhorreant. Sic non semel, in commentationibus quas ad hanc thesim scribendam legimus, nobis occurrit hanc aut illam adjectivi terminationem ex sermone plebejo ductam esse. Ut exemplo utamur, adjectivorum formæ, quæ in — *ax*, — *arius*, — *icius*, — *osus* exeunt, frequentissime in fabulis Plauti vel Terentii, in Ciceronis epistulis, vel in scriptis leguntur quæ de re rustica agunt. Eæ autem non aliter in optimæ latinitatis exemplaribus notari possunt. Num inde, ut Landgravius, Thielmann et alii opinati sunt, hanc formationem ex plebejo sermone ductam esse inferendum est, tanquam politissimæ orationi aliena esset? Non ita res mihi sese habere videtur.

Profecto quidem illa terminatio cotidiano dicendi generi familiaris est. Sed ne ex mente excidat, latini licet scriptores multa ex sermone suo, ut supra diximus,

referimus : « Quand on fait des recherches historiques sur des faits du langage, on n'opère que sur des monuments écrits, qui ne représentent jamais que très incomplètement l'usage du temps où ils ont été écrits; car chacun ne parle et n'écrit qu'avec une petite partie des mots et des tours que l'usage autorise. » (*Revue critique*, 1872, p. 41.)

ejecerint et latinæ linguæ multas opes eripuerint, inter plebejum aut cotidianum sermonem et politam orationem non pauca communia fuisse. Non alia res fuit apud veteres atque apud nostrates. Nonne aptum sit ac commodum in perfectissimis sermonis nostri monumentis locutiones e cotidiana consuetudine assumptas colligere? Quotusquisque est inter optimos scriptores qui adeo purum usurpare sermonem cupiat ut amoveat quicquid ad cotidianum usum pertinere potest <sup>1</sup>?

Eodem modo sese habuerunt veterum scriptores. Terminations illæ (ut ad propositum revertar, unde digressus sum) plebi sunt familiares, non autem scriptoribus alienæ. Talia non semel nobis in ea disputatione notanda erunt.

Alia autem objicienda. Scriptorum indicem mihi intuenti, quos Wölflinius tanquam sermonis plebeji aut cotidiani vestigiis imbutos proponit, occurrit quasi eodem in loco versari Ciceronem, Horatium, auctores belli Hispaniæ et belli Africani, Livium, Vitruvium, Petronium.

Nescio quid confusum, et, ut ita dicam, perturbatum hic apparet. Quibus enim vinculis Ciceronianus sermo et Petronianus junguntur? Qua ratione juxta ponemus præclarissimi Romanorum oratoris sermonem et istam dicendi rationem cujus exemplar belli Africani et belli Hispaniæ scriptores sæpius exhibent? Nonne inter summi ac perfectissimi oratoris et centurionum, qui in castris vitam agere solent, sermonem permultum interest? Num eadem scribendi virtute præditos habebi-

1. Cf. Bossuetium qui (2<sup>o</sup> sermon de la Passion, 1, — 1<sup>er</sup> sermon, Vertu de la croix, 1) vocabulum « souler » usurpat.

mus Livium et Vitruvium, alterum cujus ubertas tot et tam variis laudationibus exornata est, cujus historicum dicendi genus ceterorum scriptorum sermonem longe superat, alterum cujus sermonis vitia supra memoravimus? Quo, apud Romanos, puros et emendatos scriptores reperiemus, si viam inibimus eorum qui, Wölfflinii exemplo impulsus, vel Ciceronis latinitatem non incorruptam habuerunt? Sunt enim qui primum Ciceronis priorum orationum sermonem haud semel reprehenderint, tanquam illa juvenilis redundantia, quam Tullius ipse sibi quasi in vitium vertit, neglectioris linguae imaginem referret, tanquam nimius conjunctionum usus, complurium synonymorum conjunctio, « cognatorum verborum consociatio quae persaepe a Cicerone artificiose composita est » probarent Ciceronem priorum scriptorum hic vestigiis instituisse et inde non satis anxie distinxisse « inter cotidianum sermonem et orationem politam elegantemque, » nec potius vitia oratoris qui, admodum juvenis, eloquentiae vi et ardore incenditur, hic deprehendere liceret. Sed illa minora.

Errat enim qui putat Ciceronem elegantissimi et perfectissimi sermonis exemplar nobis adesse. Ejus epistolae familiarem sermonem quasi flagitant. Nihil igitur mirum, quod ii qui sermonis cotidiani vestigia inquirunt, tam opimam praedam inde referunt. Sed « in dialogis librorum de philosophia, et de rhetorica scriptorum multa frustula cotidiani generis loquendi redundant. » Modo priores tantum Ciceronis orationes, id est, orationes pro Quinctio, pro Sexto Roscio, pro Q. Roscio comædo, pro Tullio, orationum Verrinarum libros VII, orationes pro Fontejo, pro Cæcina habitas, memoravi-

mus, tanquam concinnitate et verborum elegancia interdum orbatus. In orationibus Philippicis etiam haud paucae proprietates, iis pares quae supra dictae sunt, comparent, nam « illae orationes non sunt annumerandae iis quae ad sublime dicendi genus se applicant et verborum ornatu illustratae ac distinctae sunt, sed potius mediocrem orationem sequuntur <sup>1</sup>. »

Quid penitus purum et emendatum apud Ciceronem occurret, si in orationibus, in epistulis, in dialogis, non semel apparebit, illum summum scriptorem non satis « inter cotidianum sermonem (et plerumque cotidianus sermo (*Umgangssprache*) cum plebejo sermone (*Volks-sprache*) confunditur, et uterque idem significat) et orationem politam elegantemque distinxisse? » Quis scriptorum apud Romanos, hanc distinctionem, quam flagitare videntur ii qui hanc materiam, quam nunc versamus, tractaverunt, accurate instituerit? Non jam deerunt fontes, unde hauriri sermonis plebeji aut cotidiani vestigia possint, quoniam omnes scriptores plus minus ex *cotidiano dicendi genere* flosculos carpsisse habebuntur.

Unde ejusmodi sententiae ortae sunt? Unde illa, ut ita dicam, perturbatio?

Rem plane intellegemus, si notabimus ab iis qui sermonem vulgarem illustrare conati sunt, quaestionis ipsius fines multo latius prolatos esse, si notabimus ab iis sermonis vulgaris nomine nimis varios sermonis gradus comprehensos esse.

Profitemur quidem non tam late sermonis vulgaris significationem extendendam, nec sermonem cotidianum

1. Hic Hellmuthii sententiam (Vid. *Act. sem. philol. Erlang.*, 1878, I, p. 101-103) quasi ad verbum expressimus.

eum plebejo sermone miscendum esse. Inter utrumque sermonem plurimi gradus locum tenent. In cotidiano sermone non multa occurrunt quæ profecto nescio quid singulare præbeant, quæ annotare liceat, quæ autem vel ab optimis scriptoribus non respui debeant. Qua ratione fieri possit ut scriptores ex consuetudine cotidiana non multa in opera sua transferant? Consuetudini cotidianæ, id est urbanorum virorum sermoni, nititur scriptorum lingua. Inde fit ut ubique ejus vestigia appareant. Unde dijudicare licebit, quid cotidiano sermoni proprium sit, si omnes in ejus usum incurrent scriptores?

Non eodem modo res sese habet, si plebejum sermonem a cotidiano accurate discernas, scilicet si sermonem qui sæpius ab optima latinitate abhorret, sæpius etiam a certissimis grammaticæ legibus alienus est, ab illo sermone distinguas, quem non possunt non scriptores usurpare.

Cum de plebejo sermone indagando agitur, mihi videtur inquirendum qua ratione scriptores paulatim ab informi et rudi sermone ad optimam latinitatem transgressi sint. Mihi videntur illustranda et explicanda hæc Ciceronis verba quæ sæpius in ejus dialogis<sup>1</sup> occurrunt quibusque profitetur optimam latinitatem intentius quærendam, et profitetur simul nondum æquales suos illam adeptos esse. Inter omnes constat plebejum sermonem accurate a scriptoribus (de optimæ latinitatis ætate agitur) repulsum esse. Quatenus tamen in scriptorum opera incurrit? Quæ ut explanemus, eo spectare debemus.

Si exemplis confirmare sententiam nostram necesse est, profiteamur non nobis locutionum usum quales

1. Vid. *de Orat.* III, 41, 40; 43, 48, 49. — *Brut.*, 72, 252-254; 74, 258-262.

sunt *præterpropter*, *transcontra*, *inibi*, *circumcirca*, vel formarum quales *plostrum*, *cludere*, vel nominum aut adjectivorum deminutivorum, sensu proprio carentium, et comparativi structuram cum *magis*, vel superlativi cum *maxime*, vel verborum cum inusitatis casibus, et plurima alia eodem modo tractanda esse, atque terminationes aliquot adjectivorum, vel locutiones quales sunt « *bene habet*, *frustra esse* », vel alliterationes.

Hæc non scriptoribus aliena sunt. Illa vero Senecæ sententiam explicant <sup>1</sup> : « *Quidam contra, dum nihil nisi tritum et usitatum volunt, in sordes incidunt* » et inter sordes annumerari possunt. Profiteamur etiam nobis sermonis plebeji vestigia præsertim exhiberi à scriptoribus quales sunt comici poetæ, Belli Africani et Belli Hispaniensis auctores, Vitruvius et Petronius, et parietariis inscriptionibus, præsertim Pompejanis.

Nonne inde quæstio in angustiores et æquiores fines ita contrahitur? Nonne etiam scriptorum numerus minuitur, apud quos plebeji sermonis vestigia detegenda sunt?

Num idcirco immerito sermonem cotidianum hactenus indagaverunt tot et tam eruditi viri? Multum abest ut talia sentiamus.

Sed, quantum in nobis est, optemus non ita sermonem cotidianum cum plebejo confusum esse, non tam late sermonis vulgaris significationem patuisse; optemus etiam clarius apparuisse tot laborum finem.

Ea opinamur, cum de scriptoribus agitur qui optimæ et emendatissimæ latinitatis ætate vixerunt.

Quid sentiendum sit, cum res ad Sallustium pertinet?

1. Sen., *Epist.*, 114, 13.

## CAPUT II

### QUATENUS SALLUSTIUS SERMONEM PLEBEJUM AUT COTIDIANUM IMITATUS SIT?

Si quis de hac quæstione disseret, non poterit quin aperte profiteatur multas res obstare quo minus Sallustio sermonis plebeji usum assignet. Judicia primum adsunt quæ veteres de Sallustiano dicendi genere tulerunt. Plerique eorum opinantur scriptori nostro antiquitatis studium quasi natura insitum et infixum esse.

Legimus enim apud Quintilianum <sup>1</sup> hoc in Sallustium conditum epigramma :

Et verba antiqui multum furate Catonis  
Crispe, Jugurthinæ conditor historiae.

Suetonius <sup>2</sup> hoc Asinii Pollionis judicium refert :

« Asinius Pollio, inquit, in libro quo Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit : In eam rem adjutorium ei fecit maxime quidam Atejus Prætextatus....

*De Illustribus Grammaticis* XV legimus :

1. Quint. *Inst. or.*, VIII, 3, 29, ed. Halm., 1869.

2. Suet. *de Grammaticis*, 10, 4. ed. Reifferscheid. 1860.

Lenæus Pompeji Magni libertus..... tanto amore erga patroni memoriam exstitit, ut Sallustium historicum..... acerbissima satira laceraverit, lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans et vita scriptisque monstrosum : præterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem.

Idem exprimitur , cum apud Gellium <sup>1</sup> Sallustius *novator verborum* et apud Frontonem *M. Porcii frequens sectator* vocatur.

Sallustium igitur re vera et archaismos usurpasse et multa a Catone mutuatum esse testimonia veterum comprobant. Eadem confirmantur a plerisque eorum qui usque ad Wölfflinium et Krautium Sallustianam dicendi rationem tractaverunt, et præcipue apud hunc rerum scriptorem archaismos illustraverunt. Quid de iis judiciis superest, si apud Sallustium fertur sermonis plebeji vestigia apparere? Quid de eorum verbis opinandum qui, ut Kritzius <sup>2</sup> ait, relicta æqualium dicendi consuetudine, ad pristinorum scriptorum exemplum sese applicuisse Sallustium, et præsentia perosum, ab ætatis suæ usu deflexisse arbitrantur? Quid etiam de eorum sententia qui, rem universius perpendentes, sermonis Sallustiani virtutes illustrant, et ei, inter politos ac perfectos scriptores, insignem locum assignant? Quid de eorum verbis, qui summam dicendi præstantiam et artis perfectionem Sallustii magnis laudibus extollunt? Quid de eorum iudicio, qui Sallustianam sententiarum crebritatem, verborum pondus, sermonis gravitatem illustraverunt, et jejunitatis, languoris et inelegantiae, qua

1. Vid. Gell., *Noct. Att.*, 1, 15.

2. *Proleg.* c. II, p. 18.

multi priorum artis expertes laboraverant, vitationem notaverunt?

Cum animus varias has sententias in unum colligit, non potest non mirari apud Sallustium sermonis latini « vulgaris » vestigia indagari. Sallustius, ut uno verbo omnia comprehendam, antiquitatis, id est archaïcæ ætatis, scriptorum studiosus et dicendi artifex a veteribus et a recentioribus æstimatur. Quid antiquitatis studium et dicendi artificia ad sermonis plebeji usum pertinent?

Si res accurate perpendetur, perspicuum erit non ita ægre utrumque conciliandum esse.

Quid enim archaïcum habetur? Quo statu, ea ipsa ætate, quæ archaïca vocatur, versatur Romanorum lingua? Cum de archaïca latinitatis ætate agitur, ætas ea significatur qua primum Romani, Græcos imitari gestientes, omnia scribendi genera, quæ admodum ignorabantur, aggressi sunt. In sermone quidem nescio quid horridum et imperfectum adhuc apparet; nihil tersum, nihil emendatum, nihil incorruptum, ut Gellius<sup>1</sup> de Gaii Gracchi orationibus profitetur, *multorum sermo nihil profecto abest a cotidianis sermonibus*. Si quod archaïcum est nihil aliud significat atque imperfectum aliquid ac rude, non ita discrepant archaïcæ et, ut dici solet, vulgares locutiones. Antiquitatis igitur studium non vulgaris usui sermonis alienum est.

Quod archaïcum est, eo minus a plebejis locutionibus dissidet, quod archaïcus sermo plebi in primis familiaris est, quod ejus formæ in plebis sermone semper apud Romanos conservatæ sunt ac traditæ<sup>2</sup>, haud aliter

1. Gell., *Noct. Att.*, X, 3.

2. Vid. *Journal des Savants* (août 1884), p. 431: « Ritschl a très bien

atque in plurimis Galliæ regionibus agricolæ non paucas quinti decimi, sexti decimi sæculi locutiones usurpare solent.

A Cicerone ipso illa confirmatur sententia. Nonne *de Nat. Deor.*, III, 12, 45 ait :

Sed eam (socrum meam Læliam) sic audio, ut Plautum mihi aut Nævium videar audire; facilius enim mulieres incomptam antiquitatem conservant.

Cicero etiam adeo antiquum sermonem plebejo sermoni proximum esse judicat ut non semel in scriptis utrumque vocabulum misceat et confundat. Nonne enim legitur :

*De Oratore*, III, 1, 12 : « Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur; ut tuus, Catule, sodalis, L. Cotta, gaudere mihi videtur gravitate linguæ sonoque vocis agresti et illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticorum. »

*Brutus*, XXXVI, 137 : L. etiam Cotta, prætorius, in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude processerat, sed de industria cum verbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico persequebatur atque imitabatur antiquitatem. »

montré comment, au III<sup>e</sup> siècle avant notre ère, le latin qui n'avait pas encore de littérature, était en train de se corrompre et de se perdre, et de quelle façon Ennius et les écrivains de son temps arrêrèrent cette décadence et parvinrent à créer une langue littéraire. Schuchardt pense, après Fauriel, que tandis que les gens distingués acceptèrent avec empressement ces réformes et y conformèrent leur langage, le peuple s'y montra plus rebelle, et que c'est de cette époque que date la séparation du *sermo urbanus* et du *sermo plebeius*. Ce dernier contenait des tours fort anciens, des locutions qui avaient été d'un usage général avant les réformes d'Ennius, et qui devaient durer plus qu'elles. Pendant plus de cinq siècles ces deux langues vécurent côte à côte. (Gaston Boissier).

Non igitur ita dissimilis est natura archaici ac vulgaris sermonis. Antiquitatis studium non vulgaris usum linguæ excludit. Ergo Sallustius archaismorum studiosus videri potuit; non inde vulgari sermoni infensus habendus est.

Attamen hoc patitur locus quem inter scriptores tenet? An ille qui summus dicendi artifex vocatur, cujus sermo ex singulari ingenio ortus esse videtur, plebejam linguam usurpasse potest?

Profecto non infitiandum est multas in Sallustiano sermone virtutes esse, sermonem apud eum jam non minimum perfectionis et emendationis gradum consecutum esse. Sed quo in loco inter rerum scriptores Sallustius versatur?

+ Si inquires quo modo historia ante Sallustium scripta fuerit, clare apparebit eum inter historico <sup>s</sup>primum fuisse qui veram historiam scribere aggressus sit. Nondum sermo, quem hoc scribendi genus patitur, informatus erat. — At commentarii Cæsaris nondum historiæ veram speciem præbent. — Sallustianæ historiæ alia est indoles ac priorum scriptorum. Cæsar nihil aliud sibi proposuit animo quam commentarios quibus memorat quæ gesta sunt. Sallustius altius quicquam et subtilius excogitat. Minus enim res gestas commemorare studet quam « rerum cognoscere causas », quam hominum mores illustrare. Non tam quid gestum sit perspicit quam quas ob causas hoc gestum sit. Ante Sallustium non eam historiæ scribendæ ars indolem præbet. Bellica ejus materiam constituunt.

Nescio quid philosophicum a Sallustio historicæ orationi adjungitur. Proprium igitur et quasi novum ser-

monem sibi effingere cogitur. Nonne ipse sentit, haud aliter ac Lucretius, se nova aggredi, et ait : « in primis arduum videtur res gestas scribere; primum quia facta dictis exæquanda sunt <sup>1</sup> »? Nihil obstat quin in isto sermone neglectum aliquid appareat et varia misceantur, quin etiam ex plebejo sermone non pauca sibi assumpserit Sallustius.

Præterea, nonne Sallustius singulari plebis studio flagrat? Nonne omnem operam dedit ut plebi gratus fieret, et scripta ejus a plebe legerentur? Nonne ejus opera in patricos vertuntur? Nonne quasi libelli speciem non semel præbent? Patrum superbiam sævissimo insectatur odio. Belli Jugurthini initio <sup>2</sup> « Bellum scripturus sum, ait, quod populus Romanus cum Jugurtha, rege Numidarum, gessit, primum quia magnum et atrox variaque victoria fuit, *dehinc quia tunc primum superbiæ nobilitatis obviam itum est.* » Plebis igitur studiosus fuit. Nonne credere licet eum non semel plebejum sermonem imitari voluisse?

Attamen non parvi æstimanda sunt judicia quæ de Sallustiano dicendi genere proferri solent. Modum quidem superemus, si in via, quam Krautius secutus est, insistamus, si obliviscamur qua ratione usus sit Sallustius ad historiam scribendam, si mente excidat a quibusdam vitio Sallustio datum esse quod Catonem et priores rerum scriptores imitatus sit, Sallustium annalium scriptores haud indiligenti manu versavisse, affectatione quadam et dicendi ambitione eos imitatum esse qui ante ipsum res scripserunt, tanquam in opus suum animos convertere

1. *Cat.*, 3, 2.

2. *Bell. Jug.*, 5, 1.

niteretur cum, ut ait Quintilianus <sup>1</sup> « verba a vetustate repetita afferant orationi majestatem aliquam non sine delectatione. »


Non refellimus igitur quod hactenus plerique de Sallustio pro vero habuerunt. Non infitiamur apud Sallustium apparere quædam quæ admirationem moveant, si temporum ratio habetur, quibus usurpata sunt, quæque cur novator verborum vocatus sit clarissime expediant. Non infitiamur denique Sallustium quasi operam dedisse ut alio sermone, atque æquales ipsi, res scriberet. Idcirco nobis accurate distinguendum videtur quid imitationi, quid affectationi apud Sallustium assignari possit, quid etiam ex plebejo aut cotidiano sermone assumptum sit. Profecto occurrent sæpius loci quibus ægerrime, quo animo Sallustius hoc aut illud usurpaverit, utrum ad veteres imitandos scriptores, an ad plebem alliciendam, in lucem proferetur.

Sed si memorare licet (quod supra diximus) non ita archaicam linguam a plebeja abesse, plebeji sermonis significationem in æquissimos fines cogendam et a sermone cotidiano diligenter (quantum ad nos pertinet) plebejum esse distinguendum, hæc impedimenta, quæ nobis undique obstare videntur, paulatim in irritum cadent. Quod affectatum et ambitiosum erit, quod veræ imitationis speciem feret, quod Cicero ipse vetustum ac quasi obsoletum habuit, id archaicum esse opinabimur. Quod autem ab optima latinitate abhorrebit, quod cum Belli Hispaniensis, Belli Africani, Vitruvii et comicorum poetarum sermoné vinculo conjungetur, simul atque

1. *Inst. or.*, I, 6, 39.

archaici, plebeji sermonis imaginem referet. Quod denique, etsi nescio quid singulare ac familiare præbet, ab optimis scriptoribus usurpatum erit, ex sermone cotidiano id translatum esse judicabimus, quin optimæ latinitatis monumentis indignum haberi debeat.

Inde plane patet non temere nobis hanc materiam nostram tractandam esse. Quid mirum videbitur si sæpius quod ad orthographiam, ad vocabula, ad formas, ad syntaxin, ad copiam verborum attinet, Eduardi Wölfflin et imprimis Krautii sententiæ nobis impugnandum erit?



## PARS SECUNDA

### CAPUT I

#### DE ORTHOGRAPHIA

In illa commentatione, quam supra memoravimus, animadvertit Krautius, quod ad orthographiam pertinet, in Sallustii scriptis non pauca occurrere quæ notanda sint.

Etenim apud eum adhibetur VOCALIS **u** PRO **i** : cujus rei tot exempla invenies ut quamecumque ejus operum paginam tibi evolventi, permulta appareant. Inter ea proferre licet <sup>1</sup> :

<i>æstumo</i>	<i>optumus</i>	<i>lubet</i>
<i>decumus</i>	<i>proxumus</i>	<i>lubido</i>
<i>maxumus</i>	<i>lubens</i>	<i>manifestus</i>

De illa quæstione Corssen <sup>2</sup> Velii Longi <sup>3</sup> sententiam

1. Vid. *Cat.*, 7, 7; 8, 2; 32, 1; 41, 5; 52, 36. *Jug.*, 23, 2; 40, 3; 63, 1. Quodlibet caput libri seu de Catilinæ conjuratione seu de Jugurthino bello aut historiarum fragmenta plurima exhibent exempla. Quarum formarum usum Sallustius quasi in perpetuam et immotam consuetudinem sibi vertisse videtur.

2. *Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache*. 2<sup>e</sup> éd., I, 336.

3. P. 2216 Putsch.

memorat : « *optimus, maximus*, in quibus annotandum antiquum sermonem plenioris sonus fuisse, et, ut ait Cicero, rusticanum, et ea addit : « Ut igitur Cicero opinatur, sonus *u* qui in illis verbis occurrit non jam urbanorum ore civium ferebatur, sed in vulgari lingua adhuc permanebat <sup>1</sup>. » Corssen autem, mea quidem sententia, Velii Longi verbis graviorem assignavit significationem quam re vera præbent. Proftemur enim nos frustra quæsiisse quo loco Cicero illam protulerit sententiam. Apud eum legimus tantum locos <sup>2</sup>, quos supra memoravimus, quibusque nihil aliud probatur quam linguæ rusticæ cum antiquo sermone consensus. Nullam igitur hic vim habent Ciceronis verba. Num autem aliæ sunt causæ cur contendere liceat, ut Krautius, Corssenio fidens, arbitratur, usum litteræ *u* pro *i* in quibusdam vocabulis, præcipue in superlativis, ex plebejo sermone assumptum esse? Non ita res est, ut mihi videtur. Si enim optimorum codices scriptorum consules, perspicuum erit non minus apud illos, scilicet apud Ciceronem, Livium, Vergilium, formam per *u* scriptam apparere quam apud Sallustium <sup>3</sup>. Præterea grammatici probant rem non parum disceptatam fuisse, et utramque formam per *u* et per *i* eodem modo per totam latinitatem usurpatam esse.

Cum igitur optimi scriptores vocali *u* pro *i* usi sint,

1. Corssen l. l. « Nach Ciceros Urtheil also war der U laut in jenen Wörtern im Munde der Gebildeten abgekomen, herrschte aber noch in der Volkssprache vor. »

2. *De orat.*, III, 11, 42; 42, 46. — *Brut.*, 36, 136.

3. Neue (*Formenlehre der lat Sprache*, 2<sup>e</sup> éd., p. 102) scribit : « Terminatio *umus* non solum in vetustissimis linguæ monumentis dominatur....., sed etiam apud Ciceronem in antiquissimis codicibus frequenter apparet. Non desunt quoque ejus rei exempla in codicibus manuscriptis Cæsaris, Vergilii, Horatii et Livii. »

cum etiam neuter sonus unquam ex scriptorum sermone apud Romanos exciderit, dilucidum est nihil in Sallustio singulare inesse, nec illum usum ab ornatissima oratione alienum fuisse.

VOCALIS **u** PRO **y**. Si Dietschio fides adhibenda est, Sallustius formis usus est *inclutus*, *murtetum*, *Curene*, *Durrachium*, *Libues*, *Sufax*.

Quod ad nomina propria spectat, hoc non plerisque codicibus probatur. Codex Parisinus, quem Jordan « omnium quotquot innotuerunt optimum esse declarat » non eas formas tradit; itaque Kritzius, Jordan, Jacobs, Schmalz et Lallier illas non prodiderunt. Sallustius igitur non a ceteris scriptoribus discrepat. Si autem *inclutus*, *murtetum* scripsit, non hoc optimis scriptoribus alienum esse videtur. Utraque forma per *u* et per *i* ab iis usurpata est, præsertim Sallustii ætate, cum littera *y* nondum pro græca littera *υ* in consuetudinem omnino versa esset.

VOCALIS **u** PRO **e**. Sallustius enim fertur præsertim formas *undus* in verbis tertiæ conjugationis affectasse, ut quidam opinantur, ceteri scriptores hoc gerundio rarius usi sunt, et tantum illud in legum formulis servaverunt quas ab antiquis acceperant. Si vero rem diligentius inspicias, animadvertes a Sallustio quidem formam *undum* in verbis tertiæ conjugationis frequenter esse usurpatam, non autem alteram, scilicet *endum*, exclusam. Apud eum legitur *opprimundæ* *Cat.* 16, 4; *or. Phil.* 3 et 6, *repetundarum* *Cat.* 18, 3. 49, 2, *repetunda or. Lep.* 6. *referundum* *Cat.* 50, 4. *cogundi* *Jug.* 26, 2. *dicundo* *Jug.* 32, 1. *dicundi* *Jug.* 34, 1. *emundi* *Jug.* 18, 5. *belli gerundi* *Jug.* 35, 3. *bellum gerundum* *Jug.* 54, 5.

*legundi Jug. 93, 1.* Sed occurrunt etiam formæ in *endus* exeuntes, inter quas proferre licet *minuendæ Jug. 19, 1. persequendo Jug. 50, 6. relinquendum Jug. 106, 6. metuendum or. Ph. 3. fruendos or. Macr. 6. exsequendo or. Macr. 16.* Utraque igitur terminatio pariter apud Sallustium occurrit. Haud aliter sese res habet apud ceteros scriptores et in legibus et inscriptionibus. Hoc clarissime a Friderico Neue <sup>1</sup> demonstratum est. Proinde nihil singulare Sallustio assignandum est; quoniam utraque forma *endus* et *undus* simul per totam latinitatem et apud plerosque scriptores usurpata est et eidem scriptori plerumque neutra displicuit.

VOCALIS *o* PRO *u* POST *u* et *v*. Sallustii codices formas tradunt *biduom, ignavos, novos, parvom*. Krautius sermoni plebejo hunc usum assignat. Profecto plebs semper illas formas adhibuit, et semper in sermone plebis et provinciarum usurpatæ sunt. Sed non optimis scriptoribus alienæ sunt. Integerrimis codicibus manuscriptis produntur. Rem Quintilianus <sup>2</sup> explanat: « *Nostri præceptores, ait, « cervomque » v et o litteris scripserunt, quia subjecta vocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret, nunc v geminata scribuntur.* » Non igitur admirationem movere debent illæ, quas supra memoravimus, formæ, nec Krautio nobis assentiri licet <sup>3</sup>.

Non mutatur sententia nostra, cum agitur de formis, quales sunt *volnus, volgus, divolgare*. Diu non Romanis

1. Vid. *Formenlehre der lat. Sprache*, II, p. 453-459.

2. *Inst. or.*, I, 7, 26.

3. Hæc questio optime illustrata est a Corssenio (*Vok. Auspr.* II, 102) et a Kuehnerio (*Ausführl., Grammat. der lat. Sprache*. 2<sup>o</sup> ed., I, 276) qui clare demonstrat quatenus forma per *o* plerisque romanis scriptoribus communis fuerit.

placuit duos sonos *u* consociare; quamobrem *u* sonum *o* subjecerunt. Hoc permansit usque ad Quintiliani ætatem; quod confirmant optimi Plauti, Lucretii, Vergilii et Ciceronis codices, in formis quas Corssen <sup>1</sup> memoravit, scilicet : *voll*, *vollis*, *voltus*, *volgus*, *volgivaque*, *volpes*, *volcanus*, *volnus*, *avolsa*, *divolsa*, *revolsum*, *convolsum*, *volcens*, *voltur*, *volturnus*, etc.

VOCALIS *o* PRO *e* post *v*. Sallustius verbum *vertere* ejusque composita « *vortere* », pronomen *vester* « *voster* » scribere solet, quemadmodum *advorsus*, *vorsus*, *univorsus*, *vortex*, et ceteras ejusdem generis formas per *o* non per *e* litteram scribit. Quid de hoc usu sentiendum?

Quintilianus <sup>2</sup> ait : « *Quid dicam « vortices » et « vorsus » ceteraque in eundem modum, quæ primus Scipio Africanus in e litteram secundam vertisse dicitur?*

Apparet igitur, Sallustii temporibus jam *e* in locum soni *o* cecidisse, saltem quod ad urbanam orationem attinet. Si autem ad plebejum sermonem mentem convertes, perspicuum erit illum sonum in eo semper integrum permansisse. Hoc linguis romanis confirmatur. Confirmatur quoque Marii Victorini <sup>3</sup> grammatici sententia qui præcipit verba *voster*, *vortit* et similia *e* non per *o* scribenda. Confirmatur denique Schuchardtii <sup>4</sup> testimoniis quæ clarissime probant quam cotidianæ consuetudini ille sonus *o* proprius ac peculiaris sit <sup>5</sup>.

1. *Op. cit.*, II, 157.

2. *De Inst. or.*, I, 7, 25.

3. II, 2458, 14. Putsch.

4. *Vokal. des Vulgärlateins*, II, 215-216.

5. De hac re videre est inscriptiones. C. I. L. 1. 496, 25. 497, 18, 25. 497, 9. 497, 17. 498, 30. 498, 59 bis. 499, 1. 499, 7. 499, 15. 499, 42. 201, 4. 201, 8. 201, 9. 201, 13. 204, 1, 10. 577, 1, 12. 1029, 1057 bis. 1082.

Fortasse Sallustius inde illum usum recepit. Nihil autem certum affirmare audeamus.

Restat nunc ut Krautii sententia de his formis : *detractare Jug.*, 53, 8. *H.* 3, 77, 2 Kr. *occanuere. H.* 1, 69 Kr. *superjactis. H.* 2, 81 Kr. accurate inspiciatur.

Krautius opinatur a plebe vocalem *a* in iis verbis asservari, et plebejum aliquid in iis inesse. Scilicet obsoletam et insolitam præ se speciem ea vocabula ferunt. Sed, quod ad formam *detractare* attinet, Corssenius <sup>1</sup> clarissime demonstravit primum illam vocalem *a* semper integram permansisse, apud veteres scriptores quidem frequentius, sed apud scriptores classicos non desitam esse servari in verbis compositis, deinde non parum valuisse quid per se compositum significat, nec idem valere (ut exemplis utamur) *pertractare, attractare, retractare, detractare* in quibus *a* servatur atque verba eadem in quibus vocalis *a* in *e* transiit.

Præterea, ut Schulze optime exposuit, ægerrime demonstrates a Sallustio formam obsoletam usurpatam esse, cum Jordan hic *detrectare*, illic *detractare* scribat. « Ætate Sallustii duæ formæ in usu fuerunt, auctorque modo unam, modo alteram significationis causa aut studio primitivarum formarum commotus elegit <sup>2</sup>. »

Quod vero ad *occanuere* et *superjactis* attinet, inter eas formas locum tenent quæ quid Quintilianus et alii de Sallustio senserint plane demonstrant.

*Occanuere* in se grammaticorum mentes convertit. PRISCIANUS 898, 17, Putsch. DIOMEDES 370, 40, P. et Vergilii commentator SERVIUS eam formam tantum retulerunt.

1. *Vok. Ausp. und Beton.* II, 404 sqq.

2. Vid. *De arch. Sall.*, p. 34.

Eandem apud Tacitum <sup>1</sup> formam reperimus. Quam autem Tacitus e Sallustio mutuatus esse videtur. Nihil igitur clarum et dilucidum inde eminet.

De *superjactis* <sup>2</sup> forma notanda sunt quæ de *detractare* supra diximus.

Nihil igitur probat ea vocabula plebejum aliquid secum ferre. Nova autem et insolita haberi debent.

Ea de orthographia apud Sallustium nobis illustrare licuit. Perspicuum esse et apertum arbitramur paucissima plebejæ consuetudinis vestigia hic apparere. Formas tantum, quales sunt *voster*, *vortere*, in plebejas reposuimus. Ceteræ autem non Krautii sententiam nobis probare videntur.

1. Cf. Tac., *Ann.*, 2, 81; *Occanere* cornua tubasque jussit.

2. Cf. Tac., *Hist.*, V, 6, 15; incertæ undæ *superjacta* ut solido ferunt. Plin., 11, 270.

## CAPUT II

### DE FORMARUM USU

---

#### § 1. — De declinatione substantivorum.

Duabus de rebus hic agitur, scilicet de generum et de casuum formis, quas longe dissimiles, distinguere nobis placet, quamvis eodem pertineant. Eas eo libentius separamus, quod, mutata re, sæpius mutatur sententia.

#### I. DE GENERUM FORMIS.

Sallustius, contra communem usum, genera aliquot vocum permiscet. Genus masculinum assignat vocabulis quibus neutrum genus proprium est. Sic legitur :

*H.*, 1,76 kr. : *illum* forum.

*H.*, 1,68 kr. : haud *facilem* pignantibus *vadum*.

*Jug.*, 69,2; 73,5 : *volgum*.

Si nos ad Rönshii sententiam referemus, quæ plurimis exemplis nititur, et a Reblingio<sup>1</sup> confirmatur, veri-

1. Versuch einer Charakteristik der Umgangssprache, 1883, p. 9.

simile nobis erit hanc generum commutationem plebejo sermoni propriam fuisse. Omnes enim scriptores, ex quibus exempla Rönsch <sup>1</sup> excerpit, plebejum sermonem usurpaverunt. Crediderimus igitur libenter hic plebejæ linguæ vestigia apparere.

Præterea (si de plebejo sermone, qualis apud nostrates profertur, aliquid deducere licet) nonne videmus a vulgo genera substantivorum perturbari ac misceri? Non desunt exempla, quibus hoc optime demonstratur: sic vocabula « escalier » « hôtel » « ouvrage » « légume », quæ in urbano sermone masculino genere usurpantur, femineo apud maximam plebis partem adhibentur. Inde comparet hoc quasi plebi insitum esse ut quid inter genera discrepet non intellegat, et ideo ea confundere soleat. Nihil igitur obstare videtur, quin in numerum plebejarum formarum eas reponamus, de quibus nunc dictum est.

Plebejone more a Sallustio usurpatæ sunt? Profecto non clare perspicere possumus quid sibi Sallustius proposuerit. Forsitan formas illas ex prioribus annalium scriptoribus mutuatus est. Etiam si res ita se habeat, credimus hic archaicum et plebejum sermonem inter se artissimo vinculo cohærere. Sallustius igitur hic formas accepit, quæ, etsi antiquis scriptoribus propriæ sunt, a plebe præsertim usurpantur.

## II. DE CASIBUS.

SECUNDA DECLINATIO. Krautius memorat:

GLUTINO. *H.*, 4, 23 Kr. *Coria recens detracta quasi glutino adolecebant.*

1. Itala und Vulgata, p. 267-269.

Apud optimos scriptores *glutini*, non *glutino* legitur, cum *gluten* non *glutinum* nominativo casu usurpetur. Hæc forma occurrit apud VARRONEM (vid. *Char.*, I. p. 67 et 106 Putsch), LUCILIUM (vid. *Nonium*, p. 491) apud VITRUVIUM, 165, 28. 180, 10. 180, 14. 21. PLINIUM, *H. N.*, 11, 39 (94), 20; 13, 12 (26), 82. CELSIUM 5, 5, sed ab optimæ latinitatis exemplaribus abest. Ceterum conferre licet plura substantiva quorum non eadem in polita oratione atque in neglectiore forma apparet<sup>1</sup>. Verisimile est igitur in plebejo quibusdam vocabulis aliam fuisse declinationem atque in urbano et litterato sermone. Inter ea annumeremus *glutino*.

TERTIA DECLINATIO.

ALTITUDE. *H.*, 4, 14, Kr. Scalas pares *moenium altitudine*.

Krautius<sup>2</sup> hanc formam pro dativo habet. Quamobrem cum, ut Corssen optime demonstravit, tertiæ declinationis dativus, qui in *i* exire solet, in *e* sese verterit in sermone plebejo, hujus sermonis formam hic Krautius agnoscit. Res ita sese habeat si *altitudine* dativo casu usurpetur. Sed nihil aliud hic habemus nisi ablativi formam. Quæ legitimo more usurpatur, cum vocabulum *par* comparisonem subjiciat aliquam. Cf. *Ov.*, *Fast.* 6, 804 *par facies nobilitate sua*. *Par* adhibetur, ut ait Kritzius, ut pro objecto, cui aliquid *par* esse enunciat, id nominetur, quo paritas efficitur. Non igitur Krautii sententia comprobanda est.

VIS in plurali pro VIRES. *H.*, III, 84. Kr. *Male jam assuetum ad omnis vis controversiarum*. Cf. *LUCR.*, II, 586; III,

1. Vid. Rönisch : *Itala u. Vulgata*, p. 260.

2. *Op. cit.*, p. 8.

266. MACROB., *Sat.*, 1, 9, 14. « Difficile est, ait Schulze <sup>1</sup>, dijudicare utrum *vis* in plurali archaismus habendus sit an Sallustius Lucretium poetam in primis antiquitatem amantem secutus sit. Lucretium vero metri causa forma syncopata usum esse opinatur neque hanc formam prisca ætate a nullo scriptore nisi a Lucretio adhibitam archaicam aut obsoletam esse nominandam. » Non Lucretii imitatio hic quærenda est, nec vulgaris formæ vestigium. Inter obsoletas formas illam annumeramus; inter eas locum tenent quæ tam insolitæ visæ sunt ut Sallustius *novator verborum* habitus sit.

QUARTA DECLINATIO.

SENATI. *Cat.*, 30, 3; 36, 5; 53, 1. *Jug.*, 25, 41; 40, 1. Quem genitivum antiquiorem fuisse quam in *us* formam demonstravit Corsen <sup>2</sup>; quem etiam comicis poetis familiarem imprimis fuisse nemo negaverit. Sed, quod ad Sallustium attinet, animadvertendum est hunc genitivum a Sallustio tantum scriptum esse, in iis, ut Schulze ait, terminis technicis aut formulis quæ cotidiano usu ex antiquitate traditæ semperque usitatæ sunt, nec aliter egisse eum atque ceteros scriptores.

Præterea, quod ad *senati* formam spectat, ea videtur diutissime permansisse, cum Quintilianus <sup>3</sup> ipse scribat: « Quid de aliis dicam, cum senatus, senatus, senatui, *senati* senato faciat incertum sit? » Adde quod formæ illius genitivi in *us* apud Sallustium non desunt.

Cf. *Cat.* 37,10 : *senatus partium*. — 38,2 : *senatus species*. 42,3 : *ex senatus consulto*. — 51,36 : *per senatus decretum*.

1. De archaismis Sallustianis, p. 60.

2. *Op. cit.*, II, p. 738.

3. *Inst. or.*, I, 6, 27.

— *Jug.* 25,7 : *iram senatus*. — 30,3 : *inter dubitationem et moras senatus*. — 43,4 : *senatus auctoritate*. — 112,3 : *jussu senatus*.

Non igitur, ut Krautius opinatur, singulare aliquid apud Sallustium hic apparet. Cum *senati* forma usus est, formulam tantum acceptissimam adhibuit. *Tumulti causa Cat.* 59, 5 eodem modo Krautius notat. Sed Jordano et Jacobsio assentiendum est, cum *tumultus causa* pro *tumulti causa* scribunt.

DECLINATIO QUINTA.

**Die** pro **diei**. *Jug.*, 52,3. 97,3. — **Acie** pro **aciei**. *H.*, I. 99 Kr. — **Requie** pro **requei**. *H.*, I. 107 Kr.

Quas genitivi formas Plautum adhibuisse pro certo est. Sed eas sermoni plebejo assignare, ut Krautius censet, nequeas. Non enim tantum apud Plautum et Sallustium, sed etiam apud Cæsarem, Livium et cujusvis ætatis scriptores occurrunt. Quin etiam Gellius <sup>1</sup> nobis refert « Gaium Cæsarem in libro *de analogia* secundo hujus *die* et hujus *specie* dicendum putasse. » Non igitur quicquam eæ formæ præbent quo offendamur.

§ 2. — De pronominum declinatione.

NULLO. In *Jugurtha* 97, 3 hoc legitur : « *rati noctem quæ jam aderat et victis sibi munimento fore et si vicissent nullo munimento, quia locorum scientes erant, contra Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem fore.* »

1. *Noct. Att.*, IX, 14.

Utrum *nullo* dativus sit ablativusne casus disputatur. Si *nullo* dativus est, Krautius hanc formam veterem et plebejam esse contendit. Sed non ita, ut mihi videtur, res est. Si enim hunc locum cum aliis conferemus, scilicet apud CICERONEM (*Ep. ad Att.*, X, 18), ubi legitur : « *Tullia mea peperit.... me mirifice tranquillitates ad huc tenuerunt, atque majore impedimento fuerunt quam custodiæ quibus asservor* », clare apparebit in loco, quem supra protulimus, non dativum, sed ablativum *qualitatis* adhiberi. Quamobrem non Krautio, sed Kritzio, Schmalzio et plerisque eorum qui Sallustii opera tractaverunt acriter assentimur.

QUIS pro QUIBUS, non in libro *de Catilinæ conjuratione*, sed in *Jugurthino Bello* sæpissime usurpatur. Cf. *Jug.*, 7, 7. 13, 6. 14, 10. 18, 1. 25, 4. 28, 4. 66, 4. 70, 5. 80, 3 et 5. 81, 1. 85, 37. 105, 1. 111, 2. *Hist.*, I, 20, 45. II. 22, 50, 1 et 4. III, 1, 6; IV, 48, 72.

Hæc dativi vel ablativi forma in prosa rarius occurrit. Legitur tamen apud Varronem <sup>1</sup>, Ciceronem in epistulis tantum <sup>2</sup> : in Bello Hispaniensi <sup>3</sup>; apud Livium <sup>4</sup>; apud Tacitum <sup>5</sup>. A poetis frequentius adhibetur, id est a Catullo, Vergilio et Horatio, qui in sermonibus tantum ea forma usus est. Inde apparet, cum *quis* potissimum apud Varronem, in Ciceronis epistulis et in Horatii sermonibus

1. Vid. *de Lingua latina*, 5, 8, 51. 5, 10, 74. 5, 13, 78. 5, 22, 108. 6, 3, 24. 6, 5, 35. 7, 4, 74. 7, 7, 109. 10, 2, 11. 27. 10, 3, 64. 71 et *R. R.* 1, 1, 7. 1, 5, 3. 1, 9, 2. 1, 16, 2. 2 præf. 6. 2, 1, 4. 16. 20. 2, 3, 3. 2, 4, 10. 2, 7, 1. 3, 1, 9. 3, 7, 11. 3, 9, 3. 4.

2. *Ad. Fam.*, 11, 16, 3 et *ad Att.*, 10, 11, 2-3; 13, 22, 4.

3. 23, 8.

4. 21, 62, 2. 26, 15, 4. 30, 25, 7. 42, 43, 6. 44, 3, 2.

5. *Ann.* 1, 8, 25. 57. 77. 2, 20. 30. 66. 69. 70. 83. 85. 3, 21. 26. 28. 30. 35. 38. 52. 53. 55. 56. 63. 74.

(non in ceteris ejus poetæ carminibus) occurrat, hanc formam sermoni *cotidiano* propriam fuisse. Fortasse inde Sallustius illam assumpsit.

§ 3. — De verborum conjugatione.

DE FORMÆ PERFECTI IN ERE USU.

Ut ait Schulze (*de Arch. Sallust.*, p. 81), Sallustius formam *ere* pro *erunt* frequentissime usurpat et raro forma in *erunt* desinente utitur. Ex recentissimis codicum collationibus a Jordano factis sequitur, ut formam in *erunt* omnino tantum quater certo adhibuerit.

Cf. *Cat.*, 20,10 : *Consenuerunt*. — *Jug.*, 14,5 : *appetiverunt*. — *Jug.*, 38,3 : *quiverunt*. — *Ep. Mithr.*, 10 : *laccessiverunt*.

Pluribus in locis terminationes *erunt* et *ere* fluctuant Attamen clare apparet a Sallustio terminationem in *ere* terminationi in *erunt* antepositam esse <sup>1</sup>. Quid de hoc usu sentiendum?

Variæ sunt opiniones. Corssenius <sup>2</sup>, haud aliter ac Kühnerius <sup>3</sup>, opinatur formam in *erunt* urbanæ et politæ orationi propriam fuisse, terminationem in *ere* plebejo sermoni familiarem.

Brünnertius autem et Schulze, plurimis exemplis freti quæ probant quantopere Cato terminatione in *ere* usus sit, existimant Sallustum in hac brevioris forma adhibenda Catonem imitatum esse.

1. Vid. *Jug.*, 4, 2. 13, 7. 18, 10. 28, 2. 91, 5. 95, 2. *Cat.*, 6, 2. 17, 3. 30, 7. 46, 2.

2. *Vokalismus*, 1, p. 18 sqq.

3. *Ausf. Gramm. der lat. Sp.* I, 437, 2.

Ex his variis opinionibus, nulli assentimur.

Quod ad Sallustium attinet, profecto sermonis latini plebeji vel Catonis imitationem hic agnoscere liceat. Sed, ut opinor, nihil mirum in illius terminationis usu inest. Cicero<sup>1</sup> enim ait : « Nec vero reprehenderim « *scripsere alii rem* » ; « *scripserunt* » esse verius sentio, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. »

Illa igitur brevior forma in consuetudine versabatur. Non alienum quicquam a scriptorum sermone præbebat. Sallustius ergo non purissimæ linguæ leges violavit. Hoc eo verius mihi videtur, quod Cicero ipse, etsi non eam formam potiore habuit, *de Lege agr.* I, 4, 12; *Pis.*, 40, 96. *Leg.* 1, 2, 6. *Fam.*, 9, 21, 3; 10, 19, 2, terminatione in *ere* usus est.

Sallustiusne vero ex Catone illam formam mutuatus est? Non ita res est, ut opinor. Si enim sermonem, quem Romani rerum scriptores adhibuerunt, accurate inquires, clare apparebit iis omnibus terminationem in *ere* familiarem fuisse, interque scriptores nemini illam antiquiorem fuisse quam Livio qui ne formas quidem vitavit quæ infinitivo similes sunt. Non igitur ille usus Sallustio proprius est, sed omnibus rerum scriptoribus communis. Proinde, si nullum sermonis plebeji vestigium nobis hic occurrit, non Catonem Sallustius imitatus videtur, sed consuetudini libenter et cotidiano sermone obsecutus.

Restat nunc ut proferamus aliquot formas quæ rarius apud classicos scriptores inveniuntur, quas autem Sallustius usurpavit.

1. *Orat.*, 47, 137.

PARTIVERANT. *Jug.* 43, 1. *Metellus et Silanus consules designati provincias inter se partiverant.* Quæ forma a poetis comicis et antiquioribus scriptoribus potissimum adhibita est; item ea occurrit apud Lucretium <sup>1</sup>.

Aut quia sol idem sub terras atque superne  
Imparibus currens amfractibus ætheris oras  
*Partit* <sup>2</sup> .....

Sæpius etiam in forma participii præsentis vel præteriti occurrit, nec semel in dubio est utrum deponenti vel transitivo sensu adhibeantur necne. Quæ cum ita sint, cum illud verbum apud optimos scriptores potissimum deponenti vel passivo sensu usurpetur, cum transitiva forma apud antiquiores scriptores sæpius occurrat, et apud optimos scriptores rarius, immo nunquam appareat, insolitum aliquid et ab emendatissimæ latinitatis legibus alienum notandum est. An ideo cum plebeji sermonis vestigio nobis res est?

SOLUERAT. *H.*, II, 64 kr. *Neque subsidiis, uti soluerat, compositis.*

Hanc formam <sup>3</sup>, ut PRISCIANUS ait, 872, 24 Putsch, antiquissimi protulerunt. Non tantum apud Catonem <sup>4</sup>, sed etiam apud Ennium et Cælium usurpata est; verum tamen, præterquam apud Sallustium, non postea in scriptis, quæ ex antiquis accepimus, eam invenimus, ita ut Sallustius hic antiquorum imitationem affectasse

1. *De nat. rer.*, V, 680.

2. Adde Tacitum, *Ann.*, XII, 30 : *Regnum... inter se partivere...*

3. Varro. *L. L.* IX, 61 p. 233, ed. Müller. « Sequitur ut contra quoniam est *soleo*, oporteat dici *solvit* ut Cato et Ennius scribit non ut dicit vulgus, *solutus sum* debere dici. »

4. Vid. Cato, *Fragm.*, 89, 34 (Jordan) *Cæl. Fr.*, 42.

videatur. An vero hæc forma vulgaris simul vocari potest? Nihil certius deduci licet. Si tamen hic comparisonem, ut ita dicam, instituemus, si cernemus aliis verbis qualia *soleo*, quæque neutropassiva a grammaticis appellantur, scilicet *gaudere* et *audere*, duas formas perfecti fuisse, *gavisi*, *gavissus sum*, *ausi*, *ausus sum*, verisimile erit plebem, quæ vix passivam formam his verbis assignari intellexeret, hic per analogiam egisse et verbo *solere* idem perfectum atque aliis verbis conjugationis in *ere* dedisse.

Apparet igitur plebem semper hujusmodi verbis antiquam formam servasse. Ergo ex illa disquisitione elucet Sallustium, quod ad formas pertinet, paucas e sermone vulgari mutuatum esse, attamen vulgi more genera plurium vocum confudisse et in conjugatione aliquot verborum insolitis formis usum esse.

### CAPUT III

#### DE VOCABULIS

Postquam explicuimus quid de orthographia formisque sentiamus quæ apud Sallustium apparent, veniamus ad vocabula ipsa quæ Sallustius usurpavit.

#### § 1. — De substantivis.

Krautius indolem, quæ sermoni cotidiano aut plebejo propria est, pleraque eorum vocabulorum quæ nunc proferemus præ se habere iudicat.

1. CIVITAS pro *urbs*. Apud SALLUSTIUM legitur *H. II*, 2, 32. Kr. *Ut alii tradiderunt, Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrrii mutato nomine Gadir habent.*

In fragmentis etiam quæ incerto leguntur, occurrit etiam Fr. 34 quod ex Servio ad Verg., *Æn.*, XII, 458, *Lusitanix gravem civitatem* et Fr. 3 quod ex Servio excerpitur ad Verg. *Æn.* VII, 728, *Cales civitas est Campaniæ.*

Si Ciceronis de significatione vocabuli « civitas » testimonia perpendimus, videtur non eandem significationem huic vocabulo ac voci « urbs » adscribendam esse. Hic enim definit illud verbum, *de Rep.*, I, 26, 41, *h i*

cœtus igitur hac, de qua exposui, causa instituti sedem primum certo loco domiciliorum causa constituerunt, quam cum locis manuque sæpsissent, ejus modi conjunctionem tectorum oppidum vel urbem appellaverunt delubris distinctam spatiisque communibus. Omnis ergo populus, qui est talis cœtus multitudinis, omnis civitas quæ est constitutio populi, de Rep. VI, 9, 13 : *Concilia cœtusque hominum jure sociali quæ civitates appellantur*. In oratione pro P. Sestio, 42, 91, dissimilem ab « urbe » « civitatem » esse ostendit : *tum conventicula hominum quæ postea civitates nominatæ sunt, tum domicilia conjuncta, quas urbes dicimus* cujus rei aliud documentum invenimus hoc loco. Acad. prior, II, 45, 138 : *Aristoteles aut Xenocrates, quos Antiochus sequi volebat, non dubitavissent quin et prætor ille esset et Roma urbs et eam civitas incoleret* ». Non igitur, ut Cicero opinatur, *civitas* « urbi » æquari potest. *Civitas* plures urbes, populum totum in se comprehendere potest, *urbs* autem domicilia conjuncta animo subjicit, aut, ut Nonius sententiam verbis exprimit 429, 1 M : *inter urbem et civitatem hoc interest. Urbs est ædificia, civitas incolæ*. Num idem discrimen inter utrumque vocabulum instituat Sallustius, sane difficile est perspicere. Attamen si verbis tantum mente hæremus, qualia nobis traduntur, videtur, ut Wölfflinus censet, a Sallustio *civitatem pro urbe* poni. Cui enim doctissimo viro<sup>1</sup>, secundum Verri Flacci sententiam qui opinabatur, ut Gellius refert<sup>2</sup> *civitatem et pro loco et oppido et pro jure*

1. Vid. Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen und historischen Classe der K. b. Akademie der Wissenschaften zu München : *Ueber die Latinität des Afrikaners Cassius Felix*. p. 401, 402.

2. Noct. Att., XVIII, 7, 5.

quoque omnium et pro hominum multitudine, « civitas » pro « urbe » poni nonnunquam videtur. Hoc plebejo sermoni adscribi debet, sive linguis romanis cum Wölfflinio innitimur in quas *civitas*, vocabulo « *urbs* » sublato, tantum pervenit, sive potissimum spectamus hanc significationis confusionem imprimis apud scriptores occurrere et in scriptis quibus non alienus sit plebejus sermo.

Cf. Enn. 291 trag. R : *civitatem* video Argivum incendere. — Cic. ep. 9,9,3 : Athenas vel in quamvis quietam *civitatem*. — Vit. 32,1 : *Civitas* amplissimæ mœnia; 39,14 : in Hispania *civitas* Maxilua; 194,24 : Cilicia *civitas* est Tarsos; 200, 27, 203, 2 : Zama *civitas* est Afrorum cujus mœnia, etc. — Nep. Hannib. 3,2 : Saguntum fœderatam *civitatem*. — Petron. 8 : errare per totam *civitatem*; 141, *civitatem* per totam circumducebatur.

Quo longius in latinitate progredimur, eo magis animo perspicuum fit *civitatem* etiam atque etiam pro *urbs* vocabulo poni. Sic apud Tacitum amborum vocabulorum significatio jam miscetur; haud aliter apud Suetonium et præsertim apud Ammianum a quo « *civitas* » juxta « *oppidum* » et « *urbem* » vocabula ponitur, quin significatio ex variis locis varia evadat.

Clare igitur apparet a sermone vulgari non alienum esse quin *civitatem* vocabulum pro *urbe* ponat; non multum igitur abest quin, si in verbis ipsis, qualia accepimus, innitimur, opinemur Sallustium, plebejam sermonem imitatum, hic utrumque sensum miscuisse.

2. CONSULTOR. Plerumque hac voce significatur potius ille qui consilia poscit quam qui consilia dat. Attamen

apud Sallustium hæc significatio fere una occurrit. Ex locis haud raris quibus hoc videre est (*Jug.*, 64, 5; 85, 47; 103, 7), præsertim proferre decet orationis Philippi (*H. Fr.*, 1,54 Kr.) exordium quo orator ait : *maxume vellem.... prava incepta consultoribus noxæ esse.* Hæc verba cum illo apud Varronem de r. r. 3, 2 laudato versu conferri possunt : *malum consilium consultori esse pessimum.*

Sed, non, ut Krautius opinatur, ex eo ipso quod in proverbio occurrit vocabulum, apparet vulgare illud habendum esse.

3. FACUNDIA. *Cat.*, 53, 4. *Jug.*, 30, 4; 63, 3; 102, 4. Quæ quidem vox, sicut illa quæ ei affinis est « facundus », non apud Ciceronem et Cæsarem invenitur, quamvis, ut ait Schulze <sup>1</sup>, hujus vocabuli usurpandi utrique scriptori occasio frequens fuerit. Apud Sallustium autem, ut loci supra laudati demonstrant, illa vox « *eloquentia* » tantum bis legitur, *Cat.*, 45, 4; 54, 1.

Si nos ad locos, in quibus Sallustius « *facundia* » voce usus est, referimus, cernimus Sallustium hoc vocabulum elegisse sive ut tantum verborum fundendorum facultatem, ut ait Kritzius, exprimeret, non illam virtutem viri qui, ut Ciceronis verbis utar, « mirabilius et magnificentius augere possit atque ornare quæ velit omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertineant, fontes animo ac memoria contineat », sive ut illam dicendi facultatem quæ in fœderibus agendis multum valet, non illam eloquentiam quæ vera ars habetur. Non igitur ser-

1. Op. citato, p. 31.

moni cotidiano illa vox propria est, sed potius proprio adhibetur sensu.

4. GANEO. *Cat.*, 14, 2, *quicumque impudicus adulter ganeò*. Ut Landgraf<sup>1</sup> optime demonstravit, videtur sermoni cotidiano familiarem fuisse substantivorum terminationem in *o*, præsertim cum aliquid pejus exprimitur<sup>2</sup>.

Cf. *Ganeo*. NEV., *Com.*, 118. TER., *Heaut.*, 1034. VARR., *Sat. men.* 315. CIC., *Cat.*, 2, 7. SEN., *Ep.*, 95, 41. — *Combibo*. LUCIL., *Sat.*, 26, 66. CIC., *Ep.*, 9, 23, 2. — *Comedo*. LUCIL., *Sat.*, 5, 41. VARR., *Sat. men.*, 317. — *Edo*. VARR., *Sat. men.*, 529. — *Erro*. HOR., *Tib. Ov.* — *Gulo*. APUL., *Apol.*, 32. MACR., *Sat.*, 7, 12, 9. — *Longurio*. VARR., *Sat. men.*, 562. — *Lurco*. PLAUT., *Pers.*, 421. LUCIL., *Sat.*, 5, 41. APUL., *Met.* 8, 25. — *Nebulo*. TER., *Cic.* — *Popino*. VARR., *Sat. men.*, 308. HOR., *Sat.*, 2, 7, 39. SUET., *Gr.*, 15. — *Rapo*. VARR., *Sat. men.* 378. — *Salaco*. CIC., *Ep.* 7, 24, 2. — *Suco*. CIC., *ad Att.*, 7, 13. — *Tocullio*. CIC., *ad Att.*, 2, 1, 12. — *Trico*. PLAUT. *Bacch.*, 280. LUCIL., *Sat.* 11, 17 et 11, 25. — *Varo*. LUCIL., *Sat. fragm. inc.* 108. PERS. 5, 138. — *Verbero*. PLAUT., *Amph.*, 284. *Capt.*, 551. TER., *Phorm.*, 684. CIC., *ad Att.*, 14, 6, 1. GELL., 1, 26, 8. APUL., *Met.*, 8, 31 et 10, 9.

Inde dilucidum est sæpissime illud substantivorum genus sive in fabulis sive in satiris, id est in scriptis, quæ optime quotidiani sermonis vocabula accipiunt, usurpari. Non igitur temerarium erit si quis hoc vocabulum sermoni cotidiano assignaverit, non autem ejus usum optimis scriptoribus denegaverit.

5. MALUM = pœna. *Jug.*, 100, 5 legitur: *pudore magis quam malo exercitum coercebat*. « Malum », ut censet Ger-

1. Bemerkungen zum sermo cotidianus in den Briefen Ciceros und an Cicero. Blätt. für das Gymnasial und Realschulwesen. Vol. 16.

2. Vid. eximiam Henrici Gœlzer thesim: *Etude lexicographique et grammaticale sur la latinité de saint Jérôme*, p. 44.

ladius, pro « pœna » antique dictum fuit, documentoque est versus antiquissimus Saturnius : « *Dabunt malum Metelli Nævio poetæ.* »

At non obliviscendum est hanc significationem *malum* vocabuli imprimis apud comicos poetas, Plautum et Terentium, apparere, et præsertim usurpari cum de minis agitur quas eri in servos intendunt. Cf. PLAUT., *Amph.*, 2, 2, 89; *Rud.* 4, 4, 81. *Mil. Glor.*, 2, 6, 10. *Most.* v. 845. TER., *Eun.* 4, 4, 45<sup>1</sup>. Inde imprimis in epistulas (CIC., *ad Att.*, 7, 2, 4) et in Sallustii et Livii libros transiit, ita ut non infitandum sit hoc vocabulum præcipue inter plebis homines versatum esse. Sallustium igitur hanc significationem verbi de quo nunc agimus, non ab antiquis sed potius a cotidiano sermone mutuatum esse verisimile est.

6. NEGOTIUM = res. Si Sallustium perleges, cernes quoties apud eum vocabulum « *negotium* » « *res* » significaverit. Sane non pauca invenies exempla quibus *negotio* verbo aliquid additur significationi, et de re cum magna mole peracta agitur. Sed invenies etiam locos quibus res suam significationem propriam habet et servat.

Cf. inter gravissima exempla, *Jug.*, 6, 2, *vehementer eo negotio permotus.* 25, 3, *ut in plerisque negotiis solet.* 56, 1, *id quod negotium poscebat.* 58, 7, *infecto negotio.* 104, 1, *infecto quo intenderat negotio.* 107, 6, *ea res uti in tali negotio probata.*

Quod exemplum probat Sallustium varietatem quidem

1. Vid. *malum* minitari aut minari alicui. Plaut. Liv., *Dabitur malum.* Plaut., *malo cogi.* Ter., *sine malo fateri.* Ter., *Malum militibus meis nisi quieverint.* Liv. 4 — Vid. locutionem *ne malum habeat.* Cic., *ad. Att.*, VII, 2, 4; *de Fin.*, II, 22, 71.

dicendi quæsiisse, sed etiam utriusque verbi significationem in unam et eandem coegisse. Atqui hæc significationis permutatio videtur præsertim cotidiano sermone familiaris fuisse. Etenim frequentissime in Plauti ac Terentii fabulis *negotium* pro *res* adhibetur <sup>1</sup>.

Cf. PLAUT., *Most.*, 3, 2, 53. *Quid est negotii? Mil. glor.*, II, 6, 42. *Ita negotiumst.* Eadem res se habet apud Cornificium qui haud aliter ac Sallustius utrumque verbum pariter posuit. Cf. *Ad Her.* II, 30, 49 *ut agi res et geri negotium videatur.* I, 8, 13. Ejus narrationis duo sunt genera : unum, quod in *negotiis* ; alterum, quod in *personis* positum est. Id quod in *negotiorum* expositione positum est... III, 20, 33, *rerum similitudines* exprimuntur, cum summam ipsorum *negotiorum* imagines comparamus. III, 22, 36, docet ergo se natura vulgari et usitata *re* non exsuscitari, novitate et insigni quodam *negotio* commoveri, IV, 9, 16, Solent enim diu cogitare omnes qui magna *negotia* volunt agere.

Atqui Cornificii ratio scribendi non aliena est a vulgari sermone. Cicero ipse non hunc usum respuit, sed annotemus præcipue in ejus epistulis hoc occurrere, *Ep. ad Quint.* II, 13 *ad fin.* Cum igitur « negotium » pro « res » imprimis in fabulis apud Cornificium et in Ciceronis epistulis adhibeatur, verisimile est in sermone cotidiano præcipue utrumque verbum alterum pro altero positum esse, et Sallustium hunc usum sibi sumpsisse.

7. OBSEQUELA. Apud Sallustium *H.* II, 6, 58 Kr. legitur : « *Ibi Fimbriana seditione, qui regi per obsequelam orationis et maxime odium Sullæ graves carique erant.* »

Hic non omnes *obsequelam* scribunt, sed codices hanc scripturam plerique exhibent ita ut satius sit eam accipere. Si accipitur, animadvertendum est terminationem

1. Vid. Plaut. *Pseud.* 976, ed. Lorenz.

*ela* voci adjici. Quam autem Rebling<sup>1</sup> inter eas annumerat quæ, frequenter in priore lingua adhibitæ, semotæ quasi sunt ab optimis scriptoribus et tantum apud infimæ latinitatis scriptores rursus in lucem eduntur, dum ea sermo vulgaris semper servavit. Si ita res est, non ab recto discedere videtur qui hanc terminationem vulgari propriam esse sermoni judicat, eo magis quod non ægre animadvertas vocabula, quæ ita terminantur, præcipue apud comicos poetas adhiberi, vel apud scriptores qui non a sermone vulgari alieni sunt. Sic *obsequela* reperitur non tantum apud Sallustiam, sed etiam apud Afranium, Turpilium, fortasse quoque apud Plautum. Cf. etiam alia verba quæ eadem ratione exeunt quæque RÖNSCH<sup>2</sup> inter vulgaria verba profert.

*Cautela* PLAUT., *Mil. glor.*, III, 1, 6. APUL., *Met.*, 2, 6 et 3, 5. MINUC., *FEL.*, 7, 6. *Dig.*, 3, 3, 15. — *Cicindela*. PLIN. *H. N.* XVIII, 66, 250 « *lucentes vespero per arva cicindelæ; ita appellant rustici stellantes volatus.* — *Custodela*. PLAUT., *Capt.*, II, 3, 97. *Merc.*, II, 1, 9. *Rud.*, III, 2, 34. de quo verbo Klotz (Wörterb.) ait: prisca, tantum in sermone vulgari, postea adhibita forma *custodia*. — *Fugela*. CATO. *Or.* 12 fr. 1. APUL., *Apol.*, 98. — *Luela*. LUCR., III, 1013. — *Mandatela*. GAJ. *Institut.*, II, 104. — *Nitela*. SOLIN. 23, 4. APUL., *Apol.*, 6. — *Sequela*. LACT. GELL. — *Turbela*. PLAUT., *Bacch.*, 1057. — *Pseud.*, 110.

Qua comparatione probatur in sermone plebejo præsertim hanc terminationem usurpatam esse; sed non urbano ac polito sermoni aliena est, cum vocabula qualia sunt « *tutela* » apud eum occurrant.

8. POLLICITATIO. *Jug.*, 20, 1; 61, 4. Quam vocem Krautius vulgarem esse contendit, quia quasi affinis est

1. Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache, p. 24.

2. Itala Vulgata, p. 46.

verborum frequentativorum studio, quo Sallustius sæpius legentium animos convertit. Non ita res est, ut opinor. Nihil vulgare in hoc vocabulo annotare licet, primum quod, abstractis verbis rarius apud Romanos occurrentibus, mirum sane videatur sermoni plebis, quæ vocabulis abstractis plerumque non utitur, illam vocem assignandam esse, deinde quod illud vocabulum frequentissime apud rerum scriptores occurrit<sup>1</sup>.

9. PORTATIO. Apud Sallustium legitur *Cat.* 42, 2: *armorum atque telorum portationibus.... plus timoris quam periculi effecerant.*

Vulgare rursus hoc vocabulum Krautio esse videtur, quod apud Vitruvium 245, 19 legitur. Non hoc tam grave argumentum esse arbitramur. *Portatio* enim nihil aliud significat quam verbum nostrum « transport ». Et si frequentativo verbo *portare* proxima est illa vox, animadvertamus necesse est non omnibus in rebus hanc conjugationem vulgari sermoni assignandam esse, et præsertim hac indole carere, cum de rebus *sensui subjectis* et corporeis, et de armis ferendis agitur. *Portare arma* vulgo apud Romanos vel ab optimis scriptoribus dicitur. Quid est cur *portatio* vocabulum, armis quoque ferendis adscriptum, vulgare haberi possit?

10. PROSAPIA. Apud Sallustium, *Jug.*, 85, 10 in Marii oratione legitur « *hominem veteris prosapiæ.* » *Prosapia* inter ea verba locum tenet quæ Quintilianus (I, 6, 40) « *ab ultimis et jam oblitteratis repetita temporibus* » vocat, et ipsius vocabuli usus adeo insolitus ei videtur ut eum *insulsum* habeat. Quin etiam vocabulum *prosapia* adeo

1. Cf. Cæs. B. G., III, 18, 26, 71; 108.

antiquum est, ut Cicero, cum id adhibuit, *Tim.*, 11, hæc addiderit : « ut utamur vetere verbo. » Clare igitur apparet Sallustii et Ciceronis ætate jam illud vocabulum obsoletum fuisse. Quamobrem qui Sallustii opera vulgaverunt varie hujus vocis usum æstimaverunt. Jacobsio visum est hanc veterem vocem Mario a Sallustio tributam esse, ut Marius optimates irrideret qui in majus hæc veteris linguæ vocabula extollebant. Haud aliter Kritzius sentit Marium ita verba fecisse ut oblique perstringeret nobilitatis de rebus antiquis et obsoletis gloriationem. Sallustius igitur per ludibrium egit.

Nonne etiam eo spectavit ut Mario orationem adscriberet, qua eum decebat uti, scilicet ut Mario, de plebe orto, plebejum assignaret sermonem?

Illam Marii orationem intuenti, quæ non plebejis caret locutionibus et cum moribus et ætate Marii congruit, verisimile sit vocabulum « *prosapia* », de quo nunc agimus, cum Sallustii ingenio convenire qui, ut in plerisque operis sui orationibus, iis qui eas habuerunt orationes, non ab eorum moribus aliena verba assignare conatus est.

Quid autem probat in plebe illud vocabulum etiam, Sallustii ætate, versatum esse? Non talem ipsa Ciceronis verba, quæ supra memoravimus, sentiendi rationem pati videntur. Obsoletum igitur apud Sallustium ejus vocis usum esse judicemus.

11. VERBUM = vox aut dictum.

*Jug.*, 11, 7. « Tum idem Hiempsal placere sibi respondit : nam ipsum illum tribus proxumis annis [adoptione] in regnum pervenisse. *Quod verbum* in pectus Jugurthæ altius quam quisquam ratus erat descendit. »

Ut plerisque hactenus visum est, in hoc vocabulo

collectiva quasi significatio inest, ita ut sensu idem valeat ac *vox, dictum* vel *sententia*. Hoc satis rarum est, sed si inquiritur apud quos scriptores hoc idem appareat, hoc in comicorum fabulis poetarum tantum occurrere fit perspicuum.

Vid. PLAUT., *Aul.*, 3, 6, 11. *Cas.*, 2, 5, 39. *Most.*, 1, 3, 95. TER., *Andr.*, 1, 5, 5. *Adelph.*, 5, 8, 29. *Eun.*, 1, 2, 95.

Inde, inter eos qui Sallustio præcipue indulserunt, Schmalz et Lallier deduxerunt hoc vocabulum potissimum plebejo proprium esse sermoni. Cui iudicio assentimur, quoniam ejus verbi significationis nullum apud optimos scriptores documentum exhibetur; attamen ne existimemus interdici scriptoribus hujus vocabuli usu.

Qua ex expositione fit manifestum, interea substantiva quæ Sallustius adhibuit, quæque insolitum aliquid vel singulare præbent, alia, *consultor, facundia, pollicitatio, portatio, prosapia*, plebejo sermoni immerito assignata esse, alia *obsequela, verbum*, plebejo aut cotidiano sermoni forte adscribenda, alia tandem, *civitas* pro *urbs*, *ganeo, malum* pro *pœna*, *negotium* pro *res*, quæ quasi ab optimis scriptoribus (quantum ex eorum operibus, qualia nobis tradita sunt, aliquid conijcere licet) exclusa sunt, et pro plebeji aut cotidiani sermonis vestigiis sunt habenda.

## § 2. — De adjectivis.

Inter adjectiva non pauca ex sermone plebejo aut cotidiano propter terminationem assumpta esse visa sunt. Profitemur statim <sup>1</sup> istius modi argumentum non satis

1. Vid. supra, p. 18.

per se valere. Vocabula enim eodem modo in sermone urbano et in sermone plebejo aut cotidiano exire possunt, quin clare appareat utrum magis huic quam illi sermonis generi propria sint. Sunt terminationes quæ sermoni cotidiano familiares videantur; quid autem prohibet eas simul vel optimis scriptoribus valde placere, et usitatissimas esse? Non igitur ea adjectiva, quæ modo memoraturi sumus, pro sermonis cotidiani vestigiis habenda judicamus.

AUXILIARIUS. Apud Sallustium non semel hoc vocabulum legitur. *Jug.* 46, 7; 87, 1; 93, 2. Notemus statim Sallustium, *Jug.*, 93, 2 *auxiliariis* scripsisse ut vocabulo *gregarius* eodem sono responderet. Quod ad alios attinet locos, quamvis Schmalzius <sup>1</sup> animadvertat a Cicerone in orationibus <sup>2</sup> semel tantum, in epistulis autem frequentissime verba in *arius* exeuntia usurpata esse, non dilucidum est eam terminationem, ut Schmalzius opinatur, sermoni cotidiano magis familiarem esse quam terminationem in *aris*. Ut optime Henricus Gælzer <sup>3</sup> ait, dubio et incerto more alteram utram terminationem usurpaverunt Romani. « Legitur apud Catonem *morbus articularius*; sed occurrit etiam apud Plinium *articularis morbus*; legitur apud hunc scriptorem *clavus caligarius*, sed apud Sidonium adhibetur *clavus caligaris*. » Atqui omnes ii scriptores non inter emendatissimæ latinitatis exemplaria reponi solent; et utramque formam, de qua disserimus, usurpant. Non igitur clare apparet num *aris*

1. Über den Sprachgebrauch des Asinius Pollio in den bei Cicero ad Fam, X, 31-33 erhaltenen Briefen. Karlsruhe 1882 p. 81.

2. Vid. *prov. Cons.*, 7, 15.

3. Vid. *op. cit.*, p. 147.

urbanus quicquam in se habeat quam *arius* terminatio. Non Schmalzii sententia satis probari videtur.

Eidem observationi locus est, de adjectivis quæ in *osus* desinunt.

Non rara sunt apud Sallustium vocabula quæ hac ratione cadunt, quæ vero simul apud optimos scriptores occurrunt. Sed inter ea sunt quorum Sallustius unus exempla exhibeat: scilicet *tumulosus*, quod adjectivum *Jug.*, 91, 3 legitur. Ex eo quod hujus adjectivi exempla nulla, præterquam apud Sallustium, reperiuntur, quod etiam certum est Varronem Catonemque et ceteros rei rusticæ scriptores quasi in deliciis habuisse adjectiva in — *osus* exeuntia, et ea formatio infimæ latinitatis scriptoribus præcipue placuit, non immerito deducit Krautius ea adjectiva vulgaria habenda. Sed nonne terminatio *osus* vel optimis scriptoribus familiaris est? Nonne verba apud eos leguntur, qualia *gratiosus* (Cic. *Planc.*, 46; *Flacc.*, 71; *Mur.*, 83; *Brut.*, 290)?

Adjectivorum igitur terminatio, quam non infitiamur plebejo sermoni propriam ac peculiarem fuisse, tantum ab optimis quantum ab neglectioribus scriptoribus usurpata est. Cur verisimile sit Sallustium hic quicquam ex sermone plebejo aut cotidiano sibi sumpsisse?

Potiusne vero apud Sallustium sermonis latini vulgaris vestigia exhibet adjectivorum usus quæ nunc proferemus?

ADVECTICIUS. *Jug.*, 44, 5: Eaque mutare cum mercatoribus vino *advecticio* et aliis talibus.

DEDITICIUS. *Jug.* 31, 19: Qui si *dediticius* est, profecto jussis vestris obœdiens erit.

Sane de hac adjectivorum formatione in *icius* exeuntium optime disseruit Köhler <sup>1</sup> notavitque talis formationis exempla legi potissimum apud scriptores minime elegantes, immo rusticos, velut in Varronis de re rustica scriptis, et apparere praesertim apud Petronium, et Senecam rhetorem in controversiis, et si ad optimam latinitatis aetatem animus convertatur, apud Ciceronem in epistulis, et Cornelium Nepotem ubi certissima sermonis cotidiani vestigia notari possunt.

Sane etiam, si comparationem instituemus aliquam, nobis mox manifestum erit, Sallustio in hoc usu æmulos fuisse scriptores qui non plebejum sermonem spreverint. Locus enim, quem de vocabulo *advecticius* citavimus, quadrat plane ad *B. Afr.*, locum 20, 4 qui his scribitur verbis : « *etiam animadvertibat frumento se Africa nisi importatio uti non posse* ». Nonne videmus hujus terminationis exempla creberrima apud Plautum esse, et multis modis verba cum illa formari?

Vid. PLAUT., *Curc.*, 205. *Men.*, *Prol.* 60, 68. *Epid.* II, 2, 46. *Pæn.* V, 2, 85, 100; V, 5, 24. *Cas.*, *Prol.*, 79. *Cist.*, I, 3, 43. *Aul.*, I, 2, 4. *Epid.*, 2, 3, 8. 5, 2, 41.

Eadem formatio haud raro apud Varronem usurpatur : *Sat. Men.*, p. 98, 5 R; *de r. r.* 1, 17, 2, apud Vitruvium 75, 21; 162, 19. Columellam 2, 10, 18. Palladium 10, 7, 11, in Bello Hispaniensi, 16, 2, ubi scribitur *casas quæ stramenticiæ... ædificatæ erant* (cum Cæsar, eandem exprimens cogitationem, scribat *casas quæ stramentis erant tectæ*) apud Cornelium Nepotem, *Iphicr.*, 2, 4. *Chabr.*, 1, 2. Nonne

1. *Act. Semin.*, Erlang, I, p. 376, 1878.

denique ea terminatio cum verborum Italicæ linguæ in *icio, izio* exeuntium terminatione congruit? Non igitur res absunt quæ Kœhlerii sententiam illustrent.

Sed nonne eandem terminationem invenimus in verbis qualia sunt *adventicius*, quod non semel apud Ciceronem legitur? Nonne optimi rerum scriptores *dediticius* verbum quasi unanimi usurpaverunt?

Quantacumque igitur argumenta Kœhler et alii exhibent, non possumus non eandem sententiam de adjectivis in *icius* cadentibus profiteri atque de iis quæ in *osus* exeunt. Neutram terminationem ab emendatissima latinitate alienam esse judicamus.

Si quod REBLING, LORENZ et KÖEHLER de formatione adjectivorum in *bilis* opinantur quodque SCHMILINSKY et STUENKEL per exempla ex Plauto et Varrone collecta demonstraverunt, accipiamus, nobis sentiendum sit Sallustium sermonem vulgarem imitatum esse cum adjectiva in *bilis* cadentia adhibuit qualia sunt *æquabilis Jug.*, 43, 1; 53, 1; *credibilis Cat.*, 13, 1; *incredibilis Jug.*, 95, 3. *intestabilis Jug.*, 67, 4. H. I, 4, 45, Kr. Videlicet illa formatione innumeris modis usi sunt et Plautus et Varro quorum scripta sermonis plebeji exemplaria haberi possunt, videlicet ii probaverunt quot et quam variis formis conveniret illa terminatio.

Testes sunt eæ formæ quas collegit LORENZ Pseud. 933 *impetrabilis, utibilis, adjutabilis, incogitabilis, conducbilis, perplexabilis, excruciables, voluptabilis*, quæ apud Plautum leguntur quibusque non ægre adicias plurimas quæ a Varrone usurpatæ sunt. Videlicet illa formatio per latinitatem totam quasi viva atque integra permansit, et apud infimæ latinitatis scriptores innumeras

adjectivorum formas genuit, ita ut conijcere liceat illam in — *bilis* terminationem, ut Rebling plane demonstrat, plebi familiarem atque dilectam fuisse.

Num autem infitiandum est multa adjectiva in — *bilis* exeuntia locum obtinuisse apud emendatissimos scriptores, et multa ex iis nihil tam insolitum ac novum præbere, ut vel sermoni bene latino accipienda sint?

Quæ inter annumeramus ea ipsa quæ supra ex Sallustio excerpimus quæque ab optimis scriptoribus usurpata sunt. Sallustium igitur sermone plebejo aut cotidiano hic usum esse non arbitrari mihi licet.

Præter adjectiva, quæ hactenus memoravimus, apud Sallustium quoque leguntur adjectiva, quæ cum præpositione « *per* » componuntur.

*Jug.*, 92, 5 : *perangusto* aditu. — *H. Fr.* 64, C. V. Kr., modico quoque et eleganti imperio *percarus* fuit. — *H. Fr.*, 9, 4. Kr., imperi prolatandi *percupidus* habebatur, cetera egregius. — *H. Fr.*, 23, 4 Kr., locorum *pergnari*. — *Fr.*, I, 8, 86, Kr., metu gentis ad furta belli *peridoneæ*. — *Fr.*, 51, 4, *ap. Gell.*, 1 4, 4, *perincertum*.

Quæ quidem adjectiva non omnia sermoni plebejo assignari debent : sic proferamus *perangustus*, quod apud Ciceronem, Cæsarem, apud purissimos scriptores legi potest.

Sed non ita se res habet de ceteris adjectivis, quorum nulla exempla ab optimis scriptoribus exhibentur. Verisimile est Wölfflinii sententiam rectam habendam esse.

Wölfflin <sup>1</sup> enim asserit « maximam adjectivorum cum *per* compositorum partem sermoni plebejo propriam

1. *Philol.*, XXXIV, p. 164.

esse, fretus quidem hoc documento apud Horatium ex undecim adjectivis, quæ sic formantur, octo in satiris, duo in epistulis, unum tantum in epodis legi, dum ne unum quidem exemplum illius formationis carminibus affertur. Præterea, si in mentem venit apud Plautum occurrere composita qualia sunt *perlonginquus*, *perniger*, *perpauillus*, *perprosper*, *persolus*, *perducum*, apud Terentium tantum *percontumax*, *perfortiter*, *pernimium*, *perparce*, *perpulcher*, apud Apulejum *peralbus*, *perastutulus*, *pertrux*, *pertumidus*, *pervarius*, *pergnarus*, fere animo liquet illas formas adjectivorum cum *per* compositorum potissimum sermoni plebejo assignandas. »

Si nunc mentem ad illius compositionis usum apud classicos scriptores, et præcipue apud Ciceronem convertimus, formationes præpositione « *per* » factas in Ciceronis epistulis potissimum occurrere, et eas ideo adamas fuisse in cotidiano sermone est perspicuum.

Non tamen est infitiandum plurimas ex iis formationibus pura oratione acceptas esse; et, quod ad nos attinet, imprimis plebejas esse opinamur illas formationes, in quibus adjectivis jam superlativi more adhibitæ præpositio *per* adjicitur, quales sunt, *perpaucissimus*, *permaximus*, *permaxime*; verumtamen non omnino Wölfflinii sententiam respuimus.

POPULARIS. — Legitur etiam apud Sallustium: *Cat.*, 22, 1, *populares sceleris sui*. — 24, 1, *populares conjurationis*. — 52, 14, *a popularibus conjurationis*.

Atqui hujus usus *popularis*, substantivi more, et pro vocabulis *particeps*, *socius* usurpati nullum apud ceteros Latinos scriptores exhibetur exemplum. Quamobrem Wölfflin hanc aperit observationem jam Dietschio com-

pertum fuisse « popularis » in cotidiano usu longe latius patuisse quam apud classicos scriptores. Quæ enim significatio apud comicos poetas adhibetur. Cf. TER., *Phorm.*, I, *amicus summus meus et popularis Geta*. Hic *popularis* idem significat atque nostrum verbum *camarade*. Nobis igitur Sallustius videtur ex sermone cotidiano in sermonem suum eam significationem, de qua nunc agimus, transtulisse. Notemus etiam, quod Wölfflin <sup>1</sup> animadvertit, a Sallustio quidem hanc significationem vitatam esse in Bello Jugurthino, ubi pro adjectivo « popularis » vocabula *socius* et *particeps* <sup>2</sup> scripsit.

Sermoni igitur cotidiano hoc *popularis* vocabulum assignandum esse judicamus, sed non magis a scriptorum sermone abhorret atque apud nostrates vox *camarade*.

SENECTUS. — Nunc superest ut inspeciamus an vulgari habendus sit hic *senectus* adjectivi usus.

H., IV, 6, 64 Kr. legitur « *Omnes quibus senecto corpore animus militaris erat.* »

Hic conferre licet : PLAUT., *Amph.*, 4, 2, 12. *Trin.*, 1, 2, 5. *Aul.*, 2, 2, 75. *Casin.*, 2, 3, 23; 41. *Merc.*, 5, 4, 25, et si ad posteriorem latinitatem animus convertitur, liquet poetas in primis sic *senectus* adjectivi more adhibuisse. Si quoque Prisciani <sup>3</sup> sententiam perpendimus : « *Prandeo* quamvis neutrum sit, habet participium præteriti *pransus*, ut *ceno cenatus*, *juro juratus*, *careo cassus*, *pateo passus*, *titubo titubatus*. Et multa præterea a vetustissimis similiter sunt prolata participia præteriti a neutralibus verbis, ut a *seneco senectus*, ὁ γρηόσας..... », dilucidum est hoc voca-

1. *Philol.*, p. 147. Vide supra, p. 8.

2. *Jug.*, 29, 3, participem negoti. 33, 4 sociis saluti fore.

3. Vid. 9, 9. 48 et 49, p. 869-870. Cf. Neue, *op. cit.*, II, 335.

Bulum prisco sermoni proprium fuisse. Num ideo plebejo adscribi debet? Quod ad Sallustium spectat, cautius ac prudentius agemus, si hanc vocem inter illas vetustissimas reposuerimus, quæ Sallustio affectationis crimini datæ sunt.

Proinde ex adjectivis, quorum usum perspeximus, non multa adsunt quæ e sermone plebejo a Sallustio in urbanum sermonem translata esse contendamus. Non vulgarem præbent speciem ea quorum terminatio suspicionem quamdam movit; plebeja potissimum habeamus ea quæ cum præpositione *per* componuntur, et simplex adjectivum *popularis*.

His dictis, ad conjugationes transeamus.

### § 3. — De conjugationibus.

Hic tria verborum genera nobis occurrunt :

I. Simplicia verba.

I. Frequentativa et intensiva verba.

II. Composita cum præpositionibus verba.

#### 1° De simplicibus verbis.

Inter simplicia verba permulta adsunt quæ quidam, ut Krautius et Schmalzius, vulgaria habeant. Quid nobis sentiendum sit inquiramus. Inter conjugationes, quæ notari dignæ sunt, memoremus :

1° **ATTINERE** pro retinere *Jug.*, 108, 3 : *Sed ego comperior Bocchum simul Romanum et Numidam spe pacis attinuisse.* Cf. *H.*, I, 51, 16 Kr. *Maneas in sententia et retineas arma te hortor, neu prolatando seditionibus, inquires ipse, nos in*

*sollicitudine attineas*. Quod verbum, ut Ludovicus Constans ait<sup>1</sup>; apud Ciceronem et Cæsarem aliosque optimæ latinitatis scriptores non invenitur, frequens autem est in cotidiano veterum comicorum sermone. Cf. PLAUT., *Men.*, 589. Ex sermone cotidiano illud Sallustius assumpsisse videtur.

2° AUXILIARI. *Jug.*, 24, 3 legitur : *neque mihi Micipsæ patris mei beneficia neque vostra decreta auxiliantur*. Vix intellegimus, quod Wölfflin asserit, hoc vocabulum militibus proprium esse. Haud dubium est quin raro apud classicos scriptores usurpetur. Sed non infitiandum est hoc vocabulum historiæ scriptoribus familiare esse, et cum historico genere plane congruere. Is igitur modum superet qui talem abjiciat vocem; quæ quidem nihil mirum apud Sallustium præbet.

3° CONSPICARI. Krautius animadvertit hoc verbum, quod apud Sallustium in Jugurthino Bello semel tantum 49, 4 legi posset, frequentius usurpari a comicis, et passim a Cæsare, Cornelio Nepote et Livio. Priusquam sententiam nostram explicemus, notemus hic nos quasi obstaculo cuidam obvios esse. Primum enim non ea scriptura certa est. Codex Parisinus et alii codices ejusdem familiæ *conspicitur* tradunt, dum Donatus *conspicatur* legit et inde hanc vocem pleræque editiones acceperunt. Libenter igitur imus in communem sententiam.

Sed etiam de significatione ejus verbi dubitant qui Sallustium vulgaverunt. Aliis, ut Schmalzio, passivam, aliis vero, qui numero quidem plures sunt, activam significationem hic *conspicari* videtur habere. Non passivi more adhiberi videtur, si locum totum inspicimus, de Metello

1. *De Sermone Sallustiano*, p. 56.

enim agitur, et Sallustius eo tantum spectat ut Metellum, ignarum hostium, dum monte degreditur cum exercitu, eos interim conspicantem ostendat. Non Metellus ab hostibus, sed a Metello hostes cernuntur. Ergo quod ejus vocabuli passiva significatio insolitum habet, ut ita dicam, evanescit.

Restat nunc ut inquiremus num hoc vocabulum, active usurpatum, insolens sit. — Non ita esse videtur. Non enim ab optima latinitate alienum est. Cæsar, qui (quamvis hoc non satis inter omnes constet), puri latini sermonis exemplar adest, hanc vocem crebrius usurpat, *B. G.* 2, 26. Livius non eam abjicit. Qui scriptores non ejus sunt generis, ut vocem, quæ apud eos occurrat, plebejam esse existimemus.

4° HABERE pro « habitare ». — Inter omnes constat Sallustium quasi verbum *habitare* respuisse.

*Cat.*, 6, 1 : Urbem Romam... condidere atque *habuere* initio Trojani.

*Cat.*, 52, 13 : Divorso itinere malos a bonis loca tætra, inculta, fœda atque formidulosa *habere*.

*Jug.*, 17, 7 : Qui mortales initio Africam *habuerint*. — 18, 1 : Africam initio *habuere* Gætuli et Libyes....

*H.*, II, 2, 32 Kr. : Tartessum, Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadir *habent*. — III, 2, 46 Kr. : Campi Themiscyrii, quos *habuere* Amazones.

Ex iis locis elucet frequentissimum ejus vocabuli apud scriptorem nostrum fuisse usum. Qui non apud optimæ latinitatis scriptores versatur; at Plauto proprius fuisse videtur.

Cf. ENN. apud *Cic. Fam.*, 7, 61 : Quæ Corinthum arcem altam *habetis*. — PLAUT., *Men. prol.*, 69 : Ille geminus qui

Syracensis *habet*. — *Bacch.* 1, 2, 6 : *Quis istic habet?* — *Trin.*, 1, 2, 136 : *Ubi nunc adulescens habet?* — *VARR., L. L.*, 5, 50 MÜLLER : *Ubi æditumus habere solet.*

Cum apud classicos scriptores *habitare* tantum eo sensu usurpetur, verisimile est illius verbi usum sermoni plebejo assignandum esse.

5° NON SCIRE. Proponit Krautius Ciceronem hoc vocabulum non adhibuisse, et rarius apud alios scriptores, præterquam apud comicos poetas, legi.

Apud Sallustium legitur : *H.*, III, Fr. 2, 37 : *Non tu scis.*

Sane Cicero hoc abnuvit vocabulum. *Or.*, 47, 157, ait : « *Non scire* » quidem barbarum jam videtur. *Nescire* dulcius ». Sed hic agitur tantum de verbis quæ plus minus suavem sonum habent, et distinguit Cicero quæ verba auditu jucunda vel aspera sint.

Num inde apparet *non scire* vulgare esse habendum?

Præterea hic cum fragmento Sallustii tantum res agitur. Quantum conjectura assequi licet, videntur hæc verba vel legati vel ex epistula Mithridatis excerpta esse. Nonne credere licet Sallustium hic verbo *non* significationem assignare voluisse, quam in verbo *nescire* non servasset?

6° OPITULARI. Apud Sallustium, *Cat.*, 33, 2 legitur : *Sæpe majores vestrum miseriti plebis Romanæ decretis suis inopiæ ejus opitulati sunt.*

Haud aliter ac verbum *auxiliari* Krautio *opitulari* raro usurpatum esse videtur. Etenim, quantum ex scriptis, qualia nobis tradita sunt, consequi licet, non frequenter adhibitum est hoc vocabulum. Attamen non omnino pura latinitate rejicitur. Apud Cic. *pro Rosc.*, *Am.* 10, in *epistulis ad Fam.*, 4, 13; 12, 30, *de Off.* 1, 49; 1, 154, legitur.

Nihil igitur certissime probat illam vocem Romanos scriptores fugisse.

7° Vulgaris nonnunquam est verbi usus *PORTARE*, præsertim cum eodem sensu hoc verbum usurpatur ac *ferre*. Tum enim quas Dœderlein observationes subjecit, eæ nullum habent locum. Sic in locis quos proferemus haud dubium est quin urbano sermoni magis propria sit *ferre* quam *portare* verbi usurpatio. Cf. *Jug.*, 27, 5, *exercitus qui in Africam portaretur scribitur. Cat.*, 58, 8, *memineritis vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. Jug.*, 104, 3, *stipendium in Africam portaverat*. Si notabimus *portare* anteponi<sup>1</sup> verbo *ferre* apud Plautum, Terentium, Pomponium, in Bello Africano, in Bello Hispaniensi ubi *portare* scribitur, dum iisdem de rebus Cæsar *ferre* sine ulla exceptione adhibet, verisimile erit plebejo sermone *portare* eodem sensu qui *ferre* adhiberi.

8° PRÆPEDIRE. *Jug.*, 28, 5, *multæ bonæque artes et animi et corporis erant, quas omnis avaritia præpediebat*. Si Kœhlerio fidem adhibemus, hoc verbum primo prosæ loco in *B. Hisp.*, 81, 6 legitur<sup>2</sup> et repeti debet ex prisco sermone Plauti (*Pæn.* 4, 2, 5. *Casin.*, 3, 5, 25), et Accii 179 R.; neque tamen Livius, Plinius, Tacitus id spreverunt. Præterea Cicero *pro Rabirio*, 7, 21 et Cæsar hanc vocem non respuerunt. Non igitur liceat hic vestigium vulgaris sermonis agnoscere. Magis cum vero congruere mihi videtur Schmalzii sententia qui animadvertit Sallustium et Taci-

1. Wölfflin, *Phil.*, XXIV, 151. Kœhler, *Act. sem. Erl.*, I, p. 400.

2. Quod mihi temerarium satis videtur quia, cum priora romanorum monumenta non absoluta nobis pervenerint, ægre iudices hoc aut illud verbum primum apparere.

tum solitos esse alias supposuisse præpositiones in verbis et *præpedire* potius quam *impedire* scripsisse. Hoc igitur notemus tantum, sed ne vulgaris vestigium sermonis hic requiramus.

9° QUÆSERE. De hoc verbo variarumque ejusdem conjugationis formarum usu apud Sallustium pauca scripsit Jordan <sup>1</sup> quæ non possumus non quasi ad verbum referre, adeo ejus sententiæ participes sumus.

Jordan enim negat formas *quæsere*, *quæsit*, quas grammatici ex primo historiarum libro Sallustii excerpunt, archaica tantum ornamenta esse habendas. « Sallustianæ ætatis, ait, urbani scriptores usurpant modo in formulis *quæso* et *quæsumus*. Cicero, ut exemplo utamur, vel *quæso* sententiis inserit (*Ep. Fam.*, 7, 23, 1; *Att.*, 7, 10. *Acad.*, 1, 1, 2. *Verr. actio* 1, 10, 28. 4, 47, 105, (*quæsumus*) *de Leg.* 1, 2, 6) vel præmittit *Fam.*, 3, 7, 5. *Att.*, 7, 11, 1, vel in sollemni oratione (simul ac *peto* et *etiam atque etiam*) *Fam.*, 3, 2, 1. 5, 4, 2. *Att.*, 15, 8, 2; *pro Arch.*, 2, 3 usurpat. Item in precibus Brutus et Cassius « *deos quæsumus* *Fam.*, 11, 3, 4 scribunt. Haud aliter Sallustius, quem præcipue intuemur, formularum more, scribit in orationibus : *Quod ego vos moneo quæsoque ut* (*Jug.* 85, 10. *Or. Phil.* 13, *ep. Mithr.* 16). Sed, ut supra diximus, grammatici testantur etiam Sallustium non modo formas solitas *quæso*, *quæsumus* usurpasse, sed quoque primo Historiarum libro *quæsere* et verba *Curionem quæsit* <sup>2</sup>, *uti adolescentior et a populi suffragiis integer ætati concederet Mamerci* scripsisse (H. I, 4, 55 Kr.). Incertum quidem est, quo sensu infinitivum *quæsere* Sallustius adhibuerit; at *quæsit* formam, ex for-

1. Vid. *Krit. Beitr.*, 1879, p. 147.

2. Cf. *Lucret.*, V, 1229.

mulis, quas supra protulimus, sibi assumpsit in proprium sermonem suum. Præterea *quæsere* nusquam in Catilinæ conjuratione et in Jugurthino Bello legitur, nec unquam grammatici <sup>1</sup> in locum *quærere* formæ, cui sæpius occurrunt, *quæsere* subjecerunt. Apparet igitur Sallustium, haud aliter atque æquales suos, in formulis tantum *quæsere* scripsisse. Nihil archaicum hæc forma præbet, ut quibusdam placet; nec magis quicquam, quod plane plebejum sit, hic agnosci potest ».

Proinde ex plerisque simplicibus conjugationibus, quas Krautio fidentes protulimus, paucae sunt quæ a polito sermone abhorrere videantur. Tres tantum excipiamus, *habere* pro *habitare*, *portare* quod plebejo sermone assignandum est, et *attinere*, quod, si cotidiano sermone proprium est, non omnino ab historiæ scriptoribus neglectum est.

## 2° De verborum frequentativorum et intensivorum usu.

Constat inter omnes ex omnibus rerum scriptoribus neminem magis quam Sallustium verba frequentativa et intensiva usurpasse, immo neminem magis quam eum frequentativis et intensivis tanquam simplicibus verbis usum esse. Atqui <sup>2</sup> Wölfflin, p. 157 et Lorenz in *præf. Plaut. Pseud.*, p. 58 n. 48 « docent verborum frequentativorum et intensivorum propriam vim in sermone cotidiano persæpe ita esse deminutam, ut sensu ac vi a primitivis vix differant, quin etiam permulta iterationis

1. Vid. Neue, *op. cit.*, II, 488: *Curionem quæsit*. Sic Kritz; al. *quæsivit*.  
2. Vid. Kühner, *Ausf. Gram. der lat. Sprache*, 644, 1.

aut elationis notione plane exuta sint. » Idem Richardii Jonas<sup>1</sup> libello confirmatur qui, usum verborum frequentativorum tractans apud Catonem Varronem et Sallustium, ex celeberrimo apud comicos poetas ejusmodi verborum usu infert proprium sermoni cotidiano aut plebejo eum fuisse. Profecto contendunt quidam, ut Gerlachius, id archaicum esse. Non infitiandum est veteres præcipue scriptores ejus rei exempla tradere. Sed hoc cum vulgari more congruere mihi videtur, eo magis quod plebi hoc penitus insitum est ut in primis gravia et pleniora vocabula affectet, vera eorum significatione omissa, præterea usu hæc verba teruntur adeo ut non semel cum iis sæpe, *etiam atque etiam, vehementer* et alia vocabula quæ vim addunt adhibeantur.

Quatenus hanc viam tenuerit Sallustius, quatenus apud eum verba frequentativa et intensiva propriam amiserint significationem et simplicia æquaverint, accurate inquiramus.

Inter ea, distinguamus verba prout in *ito*, in *to* et in *so* exeunt, quo clarius finem hunc nostrum consequamur.

I. De verbis quæ in *ito* exeunt.

Primum tenet locum :

1° AGITARE, cujus tot exempla Sallustius præbet ut ea omnia proferre supervacaneum sit. In octo et quadraginta locis occurrit, in quibus non desunt exempla quæ probent verbum non frequentativam vim servasse. Memoremus :

*Jug.*, 14, 10, læti pacem *agitabamus*. — 19, 5, accepimus alios incultius vagos *agitare*. — 29, 4, quoniam deditiois

1. Zum Gebrauch der verba frequentativa und intensiva in der älteren lat. Prosa, 1879.

mora indutiæ *agitabantur*. — 29, 7, in Numidia et exercitu nostro pax *agitabatur*. — 39, 5, statuit sibi nihil *agitandum*. 41, 7, paucorum arbitrio belli domique *agitabatur*. — 54, 2, Jugurtha ubi gentium aut quid *agitaret*. — 55, 4, cohortes... præsidium *agitabant*. — 63, 5, in potestatibus eo modo *agitabat*. — 81, 4, moras *agitando*. — 94, 4, pro muro dies noctesque *agitare*. — 98, 4, noctem *agitare*. — 109, 2, pacem an bellum *agitaturus* foret.

Iis in locis, quibus addere licet haud paucos sive ex Catilinæ Conjuratone excerptos, 9, 5; 23, 3; 48, 1; 57, 2; 61, 9; sive ex historiis I, 5, 61 kr, *traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse, agitare* semper pro *agere* scribitur. Non infitiabimur nonnunquam Sallustium *agitare* cum vera significatione adhibuisse, sed recte Wölfflin asseruit Sallustium *agitare* sæpius quam *agere* in libro de Catilinæ Conjuratone et in Jugurthino Bello scripsisse, et his verbis eandem significationem assignavisse. Quamobrem cum Wölfflinio sentiamus Sallustium non pauca a sermone plebejo hic mutuatum esse.

2° DICTITARE<sup>1</sup>. *Cat.*, 22, 2 : *eo dictitare fecisse, quo inter se fidi magis forent*.

*Jug.*, 84, 1 : *Marius.... dictitare sese consulatum ex victis illis spolia cepisse*.

Atqui priore loco *dictitare*, ut Cortius censuit, non idem significat ac *dicere*, sed rei, ut ita dicam, aliquam vim addit, et quasi æquat « rationem afferre, aut, ut Nepos ait, causam interserere. » Altero autem *dictitare* mihi

1. Hæc scriptura non certa est. Jacobs et Kritz delent *dictitare*; Schmalz scribit *dicitur*; Jordan vero, ex Parisino codice, *dictitare* servat. Quod varie interpretati sunt eruditi. Ritschl Mus. Rh. 23, 701 et Selling illam vocem de toto detrahunt. Bergk vero *Philol.* 29, 326 subjicit « idque eo *dicitur* fecisse », et Madvig Adv. 2, 291 atque eo *dixisse* eam rem fecisse.

haud aliter atque *iterum atque iterum dicere* significare videtur. Non igitur verbum frequentativum vim amisit suam.

3° HÆSITARE. *Jug.*, 107, 6 *dubio atque hæsitante Jugurtha.*

*Hæsitare* in propria quidem significatione mansit; de dubia Jugurthæ mente scribit Sallustius, nec aliter hoc vocabulum usurpat quam Cicero <sup>1</sup>. Ergo nihil insolitum hic adest.

4° IMPERITARE, = imperare.

*Jug.*, 19, 7 : Mauris omnibus Bocchus rex *imperitabat.* — 76, 1 : Quippe qui naturam ipsam ceteris *imperitantem* industria vicerat. — 79, 2 : Carthaginienses pleraque Africa *imperitabant.* — 81, 1 : lubidinem *imperitandi.* — 102, 6 : coactis *imperitare.* — *Hist. or. Lep.*, 10 : Hac tempestate serviundum aut *imperitandum.*

Hic conferre licet : HORATIUM (*Sat.*, 1, 6, 4; 2, 3, 189; 2, 7, 87. *Carm.*, 1, 15, 25). TIBULLUM (2, 3, 34) et VERGILIUM (*Æn.*, 12, 719) et inter rerum scriptores TITUM LIVIUM.

Nonne cotidiano forsitan sermoni proprius est ille *imperitare* vocabuli pro *imperare* usus?

5° MINITARI. *Cat.*, 49, 4 *egredienti ex senatu Cæsari gladio minitarentur.*

*Jug.*, 49, 4 *pollicendo minitando obtestando.* 55, 8 *aliis post aliis minitari.*

His omnibus in locis de minis iteratis agitur, nisi

1. Cf. Cic., *de Orat.*, 1, 18, 40 *hæsitans* in majorum institutis; 1, 51, 220 *hæsitavit* ob eam causam, quod nesciret.

re ipsa, specie saltem. Verbum igitur frequentativum hic non immerito locum tenet suum.

6° MISSITARE. *Jug.*, 38, 1 : *Missitare supplicantes legatos.*

Videlicet hoc verbum raro usurpatur, et Sallustius primus adhibuisse videtur. Sed hic actio quædam iterativa effingitur, nec tam multa nobis adsunt documenta ut probemus Sallustium *missitare* verbi vim fregisse et plebem esse imitatum.

7° NEGITARE. *Jug.*, 111, 2 : *Rex primo negitare.*

*Negitare* hic non de significatione sua declinavit. Sallustius enim scribit quam vehementer rex Bocchus neget.

8° POLLICITARI. *Cat.*, 38, 1, *dein largiundo atque pollicitando magis incendere.*

*Jug.*, 8, 1, *qui Jugurthæ non mediocrem animum pollicitando accendebant.*

Res haud facile explanari potest.

Si enim comparatio aliqua institueretur, apparebit illius verbi usum præsertim apud comicos poetas, Plautum et Terentium, frequentem esse, non apud eos omnem vim in illo permanere. Sed nonne Sallustius, in loco quem protulimus, Catilinam docet plebis animos vehementibus accendere pollicitationibus, illic Jugurtham eodem modo incitari? *Pollicitari* igitur, ut opinor, non simplici verbo *polliceri* adæquari potest, quamvis Cortius censeat hunc usum cum studio congruere, quo Sallustius frequentativis libenter utitur pro simplicibus verbis.

9° ROGITARE. *Cat.*, 31, 3, *Ad hoc mulieres... afflictare sese, manus supplices ad cælum tendere.... rogitare omnia.*

Perspicuum hic est Sallustii in animo fuisse significare quam sæpe mulieres rogent omnia. Haud igitur immerito

hic frequentativum usurpatur verbum, cum Sallustius rei magnum pondus addere voluerit.

Proinde, quamvis frequentativis verbis Sallustius singulari studio utatur, quod ad ejusmodi verba quæ in *ito* exeunt, plurima vim servaverunt suam; *agitare* tantum et *imperitare* et forsitan *missitare* nihil aliud significant ac verba simplicia. Verisimile est Sallustium sermonis plebeji consuetudinem non aspernatum esse.

II. De verbis quæ in *to* exeunt.

Quæ adeo frequentia sunt ut forte supervacuum laborem aggressuri simus, si omnia enumerare et de cunctis sententiam proferre nostram animus feret. Annotare decet :

1° ADVENTARE. *Cat.*, 56, 4 : Sed postquam Antonius cum exercitu *adventabat*. — *Jug.*, 28, 2 : Qui postquam Romam *adventabant*. — 36, 4 : Sed postquam dilapso tempore comitorum dies *adventabat*. — 53, 7 : velut hostes *adventare*. — 99, 1 : deinde ubi lux *adventabat*.

Si Jacobsii interpretationem accipimus, *adventare* non idem significat atque *advenire*. Illud vocabulum proximum est *propinquare* verbo. Præterea, *adventare* non tam alienum est ab optimæ latinitatis scriptoribus ut insolitam speciem præ se ferat. Cicero in emendatissimis scriptis illud proponit (*de Or.* I, 45 ; *Tusc.*, I, 40 ; *Cato*, 1). Sallustius igitur ætatis suæ usum recipit.

2° AFFLICTARE. *Cat.*, 31, 3 : Mulieres *afflictare sese*.

Ut clare apparet, *afflictare* « vehementer sese affligere » hic per se significat.

3° CAPTARE. *Cat.*, 20, 2 : Neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis *captarem*.

Profecto intensivam habet vim *captare*, nec ullo modo pro *capere* verbo haberi potest.

4° CONSULTARE. *Cat.*, 6, 6 : Delecti.... rei publicæ *consultabant*. — 51, 1 : Qui de rebus dubiis *consultant*. — 52, 3 : res autem monet cavere ab illis magis quam quid in illos statuamus *consultare*.

Quod verbum tam frequenter usurpatum est eodem sensu quo *deliberare* ut nihil mirum afferat, nec pro *consulere* scribi videatur; sed in propria manet significatione.

At in verbis, quæ primum ex Sallustii *Catilina* excerptimus, novum aliquid et insolitum apparet. Sallustius enim *consultare* scribit, ubi *consulere*, ut solet, adhibetur. Cujus rei nullum exemplum apud alios scriptores legas, præterquam apud Aurelium Victorem. Nonne igitur hic plebeji sermonis usum annotare licet?

5° DUCTARE. *Cat.*, 11, 5 : Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia *ductaverat*.... — 17, 7 : Cn. Pompejus.... magnum exercitum *ductabat*. — 19, 3 : Ab equitibus Hispanis, quos in exercitu *ductabat*. — *Jug.*, 38, 1 : Per saltuosa loca et tramites exercitum *ductare*. — 70, 2 : Exercitum *ductare*.

Manifestum est *ductare* ibi nihil aliud significare atque ipsum verbum *ducere*.

Adde quod frustra in ætate Sallustiana vel Ciceroniana apud scriptores ejus usus exempla quæris. Ex omnibus scriptoribus Plautus tantum id vocabulum frequenter

usurpavit. Jam apud Terentium minus apparet<sup>1</sup>. Profecto Quintilianus (VIII, 3, 44) hoc sancte et antique dictum esse iudicat; si antiquus est hic usus, non minus vulgari proprius est sermoni, cum, ut supra diximus, plebejo sermoni placeat frequentativorum verborum significationem quasi exstinguere.

6° OBJECTARE = *objicere*. *Jug.*, 7, 1, *statuit eum objectare periculis*. Nil aliud hic *objectare* atque *objicere* significat.<sup>?</sup> Sed non ita res se habet iis locis. — *Jug.*, 85, 14 : *Mihi fortuna illis probra objectantur*. — *Jug.*, 94, 4 : *Mario vecordiam objectare*. — *Or. Lep.* 18 : *Objectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum*. Etenim hic verbi longe alia significatio habenda est. *Objectare* vim eandem habet atque *increpare*, *vehementer objicere*.

7° OSTENTARE. Cf. *Jug.*, 23, 1 : *Modo formidinem ostentare*. — 31, 10 : *Pars triumphos suos ostentantes*. — 49, 4 : *Eum ipsum aliis ostentare*. — 66, 2 : *Lasciviam magis quam formidinem ostentabat*. — 68, 4 : *Prædam benigne ostentat*. — 85, 29 : *Triumphos aut consulatus majorum meorum ostentare*. — 89, 1 : *Præmia ostentando*. — *Or. Macr.* 20 : *Quoniam serviti pretium ostentaretur*. — *Ep. Mithr.* 8 : *Cujus amicitiam gloriose ostentant*. — 15 : *Imprudenciam Tigranis pro victoria ostentant*.

Omnibus his in locis, ut opinor, *ostentare* quodam modo plus significat quam simplex verbum *ostendere*; modo *gloriose ostendere*, modo *vivide et splendide sub oculos subjicere* valet. Vim habet quam frustra ex simplici verbo requiras.

Eandem sententiam exponere liceat de verbis PROSPECTARE quod *Jug.* 60, 3 legitur : *intenti prælium equestre*

1. Vid. Schulze, *de Archaismis Sallustianis*, p. 74.

*prospectabant*, SUSTENTARE quod *Cat.*, 53, 5 : *res publica — vitia sustentabat.* — *Jug.* 56, 6 : *Milites Jugurthini paulisper a rege sustentati.* — 97, 5 : *Hostium vim sustentabant.* — 101, 9 : *sustentare suos cupit.* — *Or. Phil.*, 8 : *quibus adhuc sustentamur.* — *Or. Phil.*, 17 : *Se metu magis quam æquo et bono sustentatum.* Quæ singularem vim habent; non igitur eorum usum mirari debemus.

Qua ex disputatione perspicuum evadit, si frequentativa crebro apud Sallustium usurpantur, in plerisque vim intensivam manere; pauca autem quasi deminuta esse.

Res aliter se habet, quod ad verba in *so* exeuntia pertinet.

III. De Verbis quæ in *so* terminantur.

Inter ea proferamus.

1° AMPLEXARI = *amplecti.* *Cat.*, 52, 5 : Si ista, cujuscumque modi sunt, quæ *amplexamini*, retinere... voltis. Cf. PLAUT., *Rud.*, 2, 3, 33. *Mil. gl.*, 5, 29, 19. *Truc.*, 5, 33. *Asin.*, 5, 2, 32. TER., *Haut.*, 5, 1, 17. CIC., *Fam.*, 1, 9, 10; 1, 9, 19.

Apparet igitur magis proprium sermoni cotidiano hunc usum fuisse.

2° DEFENSARE = *defendere.* *Jug.*, 26, 1 : Italici quorum virtute mœnia *defensabantur.* — 60, 3 : Illi, qui mœnia *defensabant.* — 97, 5 : Aut capientes alios ab hostibus *defensabant.*

Manifestum est *defensare* non plus valere quam simplex *defendere.* Cf. PLAUT. *Rud.*, 3, 3, 30.

Sallustius igitur hic sermonem vulgarem imitatus esse videtur.

3° OCCURSARE = *occurrere.* *Jug.*, 12, 5 : dormientes alios, alios *occursantes* interficere. — 85, 3 : ea agere inter invidos *occursantes* factiosos.

4<sup>o</sup> PROPULSARE = *propellere*. *Jug.*, 46, 8 ut..... equitatus hostium, *propulsarent*. — *Jug.*, 51, 1: alii..... ubi quemque periculum ceperat ibi resistere ac *propulsare*.

Ex omnibus frequentativis et intensivis verbis quæ tam multa apud Sallustium occurrunt, pleraque igitur significationem servaverunt suam. Attamen non desunt quorum significatio non latius pateat quam simplicia verba. Proinde Sallustius plebejum aut cotidianum, ut opinor, imitatus est sermonem, qui « naturalem aut frequentandi aut intendendi significationem » negligere solet.

Nunc ad verba composita transeamus.

### 3<sup>o</sup> De compositis verbis.

Wölfflin, Rebling, Lorenz, Köhler et Landgraf, in libellis, quos supra commemoravimus <sup>1</sup>, haud parvi momenti exemplis nitentes, hoc consentiunt nihil plebejo sermoni antiquius esse quam ut in compositis verbis de præpositionis sensu, ut ita dicam, vim detrahat, et composita verba æquet simplicibus. Si enim scripta intuearis, in quæ plebejus sermo aut cotidianus potissimum accipi potuit <sup>2</sup>, non exempla absunt quæ perspicue probent quatenus huic sermoni ea verba composita debilitandi ratio placuerit. Comici præsertim poetæ, inter quos eminet Plautus, verbis cum præpositionibus compositis utuntur, et clare apparet in iis propriam particularum vim immutari et negligi. Haud aliter sese habuerunt Belli Africani et Belli Hispaniensis scriptores; Cicero in epistulis tantum, et Horatius in

1. Vid. supra, pag. 4-5.

2. Vid. *Philol.*, XXXIV, p. 158 sqq.

sermonibus, ejus rei exempla afferunt. Adde quod, si aliquot verborum usum apud Romanos scriptores conferes, intueberis, ubi scriptores, qui plebejum sermonem non respuerunt, compositis verbis pro simplicibus utuntur, ibi ab optimæ latinitatis auctoribus ea tantum afferri.

Inquirere nostrum est quatenus Sallustius ad hanc scribendi rationem, quam perpendimus, confugerit, quatenus apud eum hoc genus verborum appareat, quatenus de propria sua significatione deminuta sint.

1° De verbis cum præpositione *ad* compositis.

Hic unum exemplum ex Sallustio excerptum afferre tantum possumus.

ADÆQUARE = *æquare*. *Jug.*, 4, 6 : *Neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit.*

Præpositio *ad* sensum suum hic totum amisit, haud aliter atque apud Plautum, in iis vocabulis quæ Lorenzianus<sup>1</sup> affert : *apprope, apprime, adæque, adambulo, adformido, adbibo, adcredo, addecet, adesurio, adlaudo, admoderor, admolior, adtrevido*. Attamen nobis animadvertendum est, quod ad *adæquare* verbum attinet, unum licet apud Sallustium occurrat et *æquare* verbi desint exempla, *adæquare*, inquam, eodem sensu ab optimis scriptoribus exhiberi.

Cf. *CÆS.*, *B. C.*, 2, 32 : *Adæquare* altitudinem muri. — *B. G.*, 5, 8 : *Adæquare* navium cursum. — *B. G.*, 6, 12 : *Adæquare* aliquem gratia apud aliquem. — *Cic. Tim.*, 11 : Quod deorum vitam possit *adæquare*.

Verisimile est igitur non sermoni urbano alienum fuisse illius vocabuli usum.

1. Vid. Pseud. Præf. Not. 36.

Cum idem fere exemplum occurrat, conferamus statim verbum cum præpositione *ex* compositum.

2° De verbis cum præpositione *ex* compositis.

EXÆQUARE. *Cat.*, 3, 2, *primum quod facta dictis exæquanda sunt.* — 59, 1, *exæquato periculo.* — *Jug.*, 100, 4, *uti militibus exæquatus.* Hic conferre licet VARR., R. R. 1, 40, *BELL. HISP.*, 5, 6 ubi legitur *tumulos tumulis exæquabant*, et VITRUVIUM (28, 18; 74, 7; 77, 1; 124, 9; 129, 20; 129, 28; 130, 3; 162, 17; 211, 17; 250, 20). Notemus etiam Cæsarem <sup>1</sup>, eandem quamvis sententiam exprimeret ac Sallustius supra, hoc verbum non adhibuisse. Verumtamen *B.-C.* 1, 4, 4 scripsit : *Ipse Pompejus, ab inimicis Cæsaris incitatus et quod neminem dignitate secum exæquari volebat.* Inde clare apparet, si plebejo sermoni proprium sit verbis compositis pro simplicibus uti, in sermonem politissimum nonnunquam hunc usum translatum esse.

EXPURGARE SE. — *Cat.*, 31, 5, *dissimulandi causa aut sui expurgandi.*, *Jug.*, 69, 4 *postquam sese parum expurgat.* Scilicet priore loco *expurgare* significare potest *purgare absolute*. Sed in loco quem post attulimus, manifestum est præpositioni nullam sensus vim adesse. Quin etiam Cæsar tantum *sui purgandi causa* (*B.-G.* 4, 13; 6, 9; 7, 43) scripsit. Plebejum igitur hunc usum habeamus.

Quibus exemplis adjiciamus verba : *exædificare*, *Cat.*, 12, 3; *exagitare*, *Cat.*, 14, 3; 29, 1; 48, 5; 51, 32. — *Jug.*, 34, 2; 72, 2; 73, 5; 84, 5. — *H. Fr.*, 1, 10 Kr.; *exaudiri*, *H. Fr.* III, 7, 97 Kr.; *excruciare*, *Jug.*, 14, 21; 26, 3; 82, 3; *exoptare*, *Cat.*, 54, 4; *exornare*, *Cat.* 36, 1.

1. Cf. *B.-C.*, 1, 25 : Cæsar remotis equis, ut *æquato omnium periculo* spem fugæ tolleret,..... commisit.

*Jug.* 85, 39. Quæ verba, si non omnia verbis simplicibus paria sunt, testantur saltem, quam singulari studio Sallustius ea affectaverit.

3° De verbis cum *con* præpositione compositis.

CONLUBERE = lubere. *Cat.*, 51, 9 : *Matres familiarum pati quæ victoribus conlubuisset.* — *Jug.*, autem, 14, 24 *lubet.*

Cf. PLAUT. *Amph.*, 1, 1, 187 : *Uteunque animo conlubitumst meo.* — *Merc.*, 2, 1, 34. — *Most.*, 1, 3, 137. — TER., *Eun.*, 5, 8, 26 : *Si quid conlubuit.* — Cic., *Fam.*, 15, 16 : *Ut simul ac mihi collibitum sit de te cogitare.* — Hor., *Sat.*, I, 3, 6 : *Si collubuisset.* — *Carm.*, 4, 3, 20 autem : *si libeat.*

COMMERCARI = mercari. *Jug.*, 66, 1 : *Reficere aut commercari.*

Cf. PLAUT., *Capt. prol.*, 26 : *Commercari captivos.* — Pers., 4, 9, 12 : *Qui hic commercaris cives homines liberos.*

CONSUEFACERE, *Jug.*, 80, 2. *Paulatim consuefacit ordines habere.* Kœhler<sup>1</sup> ait « consuefacere, » quod *B. Afr.*, 73, 3, legitur, apud optimos scriptores non legi, quibus proprium est « assuefacere » velut apud CÆS., *B. G.*, 4, 2, 3, sed ap. TER., *Ad.*, 1, 1, 29, 49; II, 3, 60. VARR., *R. R.* 2, 9, 13; 3, 9, 15. — COLUM., 8, 10.

Ea verba haud dubium est quin pro simplicibus ponantur. Ab optimis etiam scriptoribus quasi respuuntur. Plebeji vestigia sermonis hic apparent.

Cetera vero ejusdem generis verba, id est cum præpositione *Cum* composita, quæ apud Sallustium legimus, leguntur etiam apud optimos scriptores et usu tam communi fuisse videntur, ut ullam singularem et propriam

1. Vid. *Act. Erl.*, I, p. 383.

proferre observationem sit supervacuum, nec Krautii<sup>1</sup> sententiæ participes fieri possimus.

Inter quæ afferamus : *Commaculare*, *Jug.*, 102, 5. *H. Fr.* 49, c. IV, 21 Kr. — *Commemorare*, *Cat.*, 59, 6. — *Communiuere*, *Jug.*, 62, 1. — *Commonefacere*, *Jug.*, 49, 4. — *Commorari*, *Cat.*, 36, 1; 59, 1. — *Communire*, *Jug.*, 66, 1. — *Commutare*, *Jug.*, 49, 6; 101, 2. — *Comprobare*, *Cat.*, 50, 1. — *Conclamare*, *Cat.*, 48, 5. — *Concupiscere*, *Cat.*, 51, 33. — *Condemnare*, *Cat.*, 51, 22. — *Condonare*, *Jug.*, 27, 2. — *Conglobare*, *Jug.*, 97, 4. — *Consternere*, *Cat.*, 13, 2. *Jug.*, 101, 11.

4° Quod ad verba cum præpositione *de* composita attinet, Cicero (*De Or.*, II, 63, 256) nobis aliquid refert quo nobis quasi niti licet. « Alterum, ait, genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in littera positum Græci vocant *παρονομασία*, ut « Nobiliorem Mobiliorum » Cato : aut, ut idem, cum cuidam dixisset : « *Eamus deambulatum* » et ille : « Quid opus fuit *de*? »

Hoc idem, quod de verbo *deambulare* dicitur, nobis dicere licet de ceteris verbis quæ cum eadem præpositione *de* componuntur. « *Quid opus est de?* » Quæ enim præpositio in plerisque verbis, quæ nunc memoramus, nullam singularem vim habet, et, quantum ex illo Ciceronis loco judicare licet, verba cum *de* composita in oratione polita raro usurpata esse videntur. Hi vero, quibus non alienus est sermo plebejus, ut auctores Belli Africani et Belli Hispaniensis, amantes verborum *de* præpositione conformatorum fuerunt.

Apud Sallustium leguntur :

1. Vid. *lib. cit.*, p. 6.

1° **Degustare.** *Cat.*, 22, 2 : Cum post exsecrationem omnes *degustassent*.

Cf. CATO *R. R.*, 148. VARRO, *R. R.* 2, 5, 15. PLIN., 18, 2, 8.

2° **Desenescere.** *H.*, 1, 9, 95, Kr.

Minus suspecta habemus verba

**Denegare.** *Cat.*, 54, 4 : Nihil *denegare* quod dono dignum esset.

**Derelinquere.** *Jug.*, 5, 7 : Privatum *dereliquerat*.

**Devincere.** *Jug.*, 25, 3 : Privata gratia *devictum*.

Compositorum igitur verborum non pauca exempla invenimus apud nostrum, in quibus præpositio sensu caret. Proinde, si ex comparatione, quam non semel instituimus, aliquid deferre licet, Sallustius, cum iis verbis usus est, haud aliter ac plebejus sermo sese habuit.

Præter ea composita, sunt apud Sallustium verba, quæ in — *ficare* exeunt, quorum exempla, apud optimos scriptores rariora, numero crescunt, prout ad infimæ latinitatis ætatem progredimur. Apud eum occurrit <sup>1</sup> :

**Ludificare.** *Jug.*, 36, 2 : ita belli modo modo pacis mora consulem *ludificare*. — 50, 4 : *Ludificati* incerto prelio.

Neue (II<sup>2</sup>, p. 294 sqq.) nobis permulta refert exempla ejus verbi, quorum pleraque ex Plauto excerpuntur.

Cf. PLAUTO, *Amph.*, 2, 1, 38. 4, 3, 7. 13. — *Cas.*, 3, 2, 30. — *Cist.* 2, 18. — *Most.*, 5, 1, 19. 5, 2, 29. — *Men.*, 3, 2, 57. — *Mil.*, 2, 6, 8. 15. — *Merc.*, 2, 2, 36. — *Persa.*, 5, 2, 52. — *Rud.*, 1, 2, 59.

**Pacificare.** *Jug.*, 66, 2 : Jugurtha *pacificante*.

Cf. LIV., 5, 23; 7, 40 : *Pacare* crebrius quam *pacificare* adhibetur.

1. Præterimus *gratificari*, *Jug.*, 3, 4, potentiæ paucorum decus atque libertatem suam *gratificari*. Quod verbum usu communi acceptum est.

Quæ verba in — *ficare* exeuntia Reblingio <sup>1</sup> plebejam præ se ferre speciem videntur. Si enim quasi historice ea inspiciamus, clare apparet ea et comicis poetis et infimæ præcipue latinitatis scriptoribus propria fuisse, ea etiam in Ecclesiæ sermone et in linguis romanice unice floruisse. Sallustius igitur, cum verbis *ludificare* et *pacificare* usus est, plebejum quicquam sibi sumpsisse videtur.

Postquam substantiva, adjectiva et varias conjugationes exhausimus, quoad ad plebejum aut cotidianum sermonem pertinent, nobis transeundum est ad vocabula quorum terminatio nusquam vertitur et immutatur.

#### § 4. — De particulis.

Si acciperemus quod senserunt Rœnsch <sup>2</sup> et Köhler <sup>3</sup>, quod etiam Corssen <sup>4</sup> scripsit, inquirere nostrum esset quatenus Sallustius plebejum aut cotidianum sermonem imitatus sit, cum adverbia in — *tim* aut *atim*, in *e* et *ter* exeuntia usurpavit. Sed pleraque eorum adverbiorum tam permixte ab optimis scriptoribus velut a neglectioribus adhibita sunt, ut strictissimo vinculo uterque sermo, plebejus et urbanus, hic cohæsisse videatur, vel horum adverbiorum usus non huic sermoni alienus fuerit. Quid enim dicamus de *affatim*, *carptim*, *catervatim*, *confertim*, *confestim*, *furtim*, *passim*,

1. Vid. *lib. cit.*, p. 25.

2. Vid. H. Rœnsch. *Italia u. Vulgata*, p. 147 sqq.

3. Vid. *Act. sem. Erl.* I, p. 380.

4. Vid. Corssen, *Kritische Beiträge zur Lateinischen Formenlehre*. Leipzig, 1863, p. 285.

*privatim, turmatim*? Scilicet hæc terminatio præcipue vetustissimis Romanorum scriptoribus placuit. At dilucidum est non optimos scriptores eam respuisse ac vitavisse.

Inter hujus modi adverbiorum formas, mentem convertimus ad ILLIM. *Jug.*, 114, 2 : *Illimque usque ad nostram memoriam.*

Neue (II<sup>2</sup>, 631) accuratissime de hac forma disputavit, et si in unum cogimus quæcunque exempla protulit, clare nobis apparet hoc adverbium forsitan a Cicerone (*Verr.* 5, 54, 142. *Phil.* 2, 31, 77), usurpatum esse, sed in ejus summi scriptoris operibus non ea scriptura certa est. POMPONIUS autem apud Nonium (*Com.*, 90). PLAUTUS (*Men.* 5, 2, 48. *Merc.* 3, 1, 13. *Pæn.*, 2, 7; 5, 2, 27 et 98), TERENCEUS (*Hec.*, 3, 1, 7), secundum aliquot codices, *illim* sæpius scripserunt. Nonne cotidiani sermonis hic vestigium nobis est obvium?

Inter adverbia quæ in *e* exeunt quæque apud Sallustium leguntur, notemus tantum *DIVERSE Cat.*, 61, 3, cujus comparativum adhibetur. Köhler<sup>1</sup>, qui *B. Afr.*, 40, 6 *corpora diverse jacebant* legit, existimat « quod Cicero in eo libro, quem adulescentulus conscripsit, *de Inv.*, 1, 50; Nepos, *Dat.*, 11, 3 et Sallustius eo usi sunt, cum denuo occurrat apud Suet., *Tib.* 66, *Galb.*, 19 et apud Gellium, 7, 19, 9, fortasse Ciceroniana ætate in cotidianio sermone id non spretum fuisse conjectura assequendum esse. »

Quod ad Sallustium attinet, *divorsius* vocabulum non mihi mirandum esse videtur. Sallustius enim id scripsit,

1. Vid. *Act. Erl.*, I, p. 380.

fortasse adductus *advorsus* vocabulo quod opponitur : « paulo *divorsius*, sed omnes tamen *advorsis* volneribus conciderant. » (

Restat nunc ut varias particulas perpendamus, quas Krautius (p. 6-7) apud Sallustium notavit, et plebejo sermone aut cotidiano assignavit.

Modo. *Jug.*, 47, 3; 75, 1 *impensius modo*. H, IV, 2, 44 Kr. *Avidior modo factus* <sup>1</sup>.

Hæc formula Gerlachii et Schulzii (*De arch. Sall.*, p. 53) admirationem movit. *Modo* quidem hic nihil aliud significat ac « seulement » et distinctissime, ut ait Schulze, Dietschius judicasse videtur usum illum magis vulgaris consuetudinis, quam politionis sermonis fuisse.

OCISSUME. *Jug.*, 25, 5 : « *Quam ocissime* » legitur. Krautius profitetur illud vocabulum, sive positive, sive per comparisonem vel supralationem adhibetur, rarissimum esse, et a comicis, ab Apulejo usurpatum esse, dum Cicero in optimis scriptis et Cæsar id omnino despiciunt. Inde ipsi apparere videtur hanc vocem potius cotidiano sermone propriam fuisse, eo magis quod *serius ocius* proverbium fuisse existimet. Scilicet non infiltandum est quam raro illud vocabulum occurrat. Sed, ut opinor, non ea res est quam certissime judicare liceat. *Ocissime* non aliter quam *citissime* adhiberi potuit.

PERPERAM. *Jug.*, 31, 27 : *Malitis cives vestros perperam quam recte fecisse*. Krautius judicat hanc vocem ab hominibus plebejis receptam esse e jureconsultorum sermone. Quin etiam refert Hellmuth <sup>2</sup> *perperam*, cum in antiquorum usu potissimum esset, Ciceronem non admisisse

1. Vid. Hand. *Tursell*, III, 639 sq., § 18; 641, § 22.

2. Vid. *Act. Erl.*, I, 113.

ab Horatio  
quoque (Sat. II)  
ve modo ocius

nisi caute ac raro; quamobrem id non legitur nisi in libro *de Inventione*, et in prioribus ejus orationibus. Præterea semper certis in formulis cernitur. Etenim aut *recte* opponitur adverbio *perperam* aut verbum *judicare* (imprimis in dicendi genere judiciali, cf. Dig., 42, 1, 82) ei adsociatur. » Pariter, in nostro loco, quem supra protulimus, *perperam* et *recte* inter se opponuntur. Adde quod optimi scriptores non ea usi sunt formula, VARRO autem de *R. r.* 1, 69, BELLUM HISPANIENSE, 12, 3, ejus exempla exhibent. Verisimile est igitur plebejam ejus formulæ originem esse, et ex sermone jureconsultorum in urbanum sermonem transiisse.

QUASI. *Jug.*, 48, 3, *ex eo medio quasi collis oriebatur*. — 50, 3, *præsidio quasi duum milium peditum*.

Hic *quasi* significationem eandem habet ac *fere* vel *ferme*. Quod quidem satis rarum est. Si inquiremus qui scriptores ejus rei exempla exhibeant, liquebit comicos præsertim poetas hunc sensum illi vocabulo, quod nunc agitur, assignasse. Cf. PLAUT., *Most.*, 3, 1, 95 *quasi quadraginta minas*. TER. *Haut.* 1, 1, 93 *quasi talenta ad quindecim*. Optimi scriptores non in scriptis suis vocabuli *quasi* significationem mutaverunt.

Apparet igitur hic sermonis cotidiani vestigium.

## CAPUT IV

### DE SYNTAXI

Quicquid de syntaxi dicemus non ratione bene constituta conjungi sane videbitur. Gravissimæ partes Sallustianæ syntaxeos omittentur, et, permultis in partibus, de paucis quidem disputabitur. Namque quod in Sallustiana syntaxi sermoni plebejo aut cotidiano recte aut injuria adscribi potuit tantum perspicere nostrum est. Quædam igitur partes brevissime tractabuntur, dum aliæ ampliorem exposcent disputationem.

Sic nihil de substantivis agemus.

Transimus statim ad adjectiva.

#### § 1. — De adjectivis.

*De gradatione per adverbia facta.*

Apud Sallustium notare licet superlativis *multo* adjici.

Legitur enim, *Cat.*, 36, 4, *multo maxime miserabile*; — 52, 20, *multo pulcherrumam eam nos haberemus*. — *Jug.*, 6, 1, *multo maxime ingenio validus*.

*Longe* contra superlativis additur semel tantum, *Jug.*, 9, 2, *longe maxuma virtus*.

Si autem, quod ad hoc pertinet, grammaticorum præcepta perpendentur, dilucidum erit, ut opinantur, *longe* plerumque superlativis addi, *multo* comparativis. Quod præterea ab optimis confirmatur scriptoribus.

*Multo* superlativis adjicitur præcipue a comicis poetis, a Lucilio, Varrone, Cornificio, a Nepote et Horatio.

Vid. PLAUT., *Amph.*, 2, 2, 150; 3, 4, 11. *Aul.*, 4, 61. *Merc. prol.*, 69. *Stich.*, 1, 2, 66. 1, 3, 10. *Truc.*, 1, 1, 62. TER., *Andr.*, 3, 2, 46. *Eun.*, 2, 2, 22. *Haut.*, 4, 8, 1. *Hec.*, 1, 2, 85. HOR., *Sat.*, 1, 5, 39; 2, 2, 82.

Credas igitur licet illud præceptum, quod ineuntes memoravimus, sermone cotidiano neglegi; et hæc sententia eo confirmatur quod, ut Diezius <sup>1</sup> testatur, in linguis romanicis *multo* ante superlativa ponitur. Sed, si rem accuratius intueamur, fit perspicuum optimos scriptores, quamvis potissimum « *longe* » ante superlativa, « *multo* » ante comparativa scribant, non contrariam respuisse rationem, et scriptores, qui cotidianum affectent sermonem, *longe* cum superlativis quoque adhibuisse. Ciceronis <sup>2</sup> enim exemplum qui pariter *multo* et *longe* vocabulis ita usus est, et Horatii <sup>3</sup> qui in sermonibus *longe* pariter ante superlativa ac *multo* adhibuit, Plauti <sup>4</sup> denique qui, quamvis *multo* imprimis ante superlativa scripserit, non *longe* eodem in casu usurpare omisit, pro-

1. Vid. Diezii grammaticam linguarum romanicarum in nostrum sermonem a Morel-Fatio et Gaston Paris conversam, II, 441.

2. Vid. Cic., *multo*. *Pro Imp. Pomp.* 1, 1, 48; 54. *Div. Cæc.* 36. *Verr.* 1, 41; III, 108; IV, 50; IV, 139. *Cat.* IV, 17. *Har. resp.* 11. *Longe*. *Sex. Rosc.* 33. *Font.* 39. *Cæc.* 33. *Rabir.* 26 (ex indice Mergueti).

3. Vid. Hor., *longe* S. 1, 5, 3; 89; *multo* S. 1, 5, 39. 2, 3, 82.

4. Vid. Plaut., *multo*. *Amph.* II, 2, 150; III, 4, 11. *Aul.* IV, 6, 1.... *longe*. *Most.* III, 3, 8.

bare videtur utrumque usum a plerisque scriptoribus acceptum fuisse, et si *multo* potissimum comparativis et *longe* superlativis additur, *multo longeque* vocabulorum cum superlativis usum vel scriptoribus, qui cotidianum sæpius usurpant sermonem, pariter placuisse. Nihil igitur certum hic constituitur.

§ 2. — De pronomibus.

Distinguamus hic :

- I. Pronomen demonstrativum.
- II. Pronomen reflexivum.
- III. Pronomen relativum.
- IV. Pronomen interrogativum et numerale.
- V. Pronomen indefinitum.

I. Pronomen demonstrativum. — 1. Hic nobis varia adsunt. Quæ eandem et unam speciem præbent : scilicet nescio quid supervacuum in illius pronominis demonstrativi usu apparet. Aut subjectum aut enunciatum totum rursus per pronomen exprimitur.

Primum Sallustius Krautii admirationem movit, cum scripsit :

*Jug.*, 63, 7, novus nemo tam clarus neque tam egregiis factis erat, quin indignus illo honore et *is* quasi pollutus haberetur.

Quod Krautius sic refert : *novus nemo tam clarus erat quin is indignus haberetur.*

Frustra quidem hic requiramus supervacuum pronominis demonstrativi usum; frustra Sallustio hic redundantiam quandam adscribere conemur. Hoc enim loco,

quem Krautium secundum memoramus, *is* « consulatus » vel « honor » vocabulum supplet.

Non igitur subjectum rursus exprimitur; communem scribendi morem, non plebejum sermonem Sallustius imitatus est.

Alferius autem generis permulta exempla tradit Sallustius, in quibus pronomen demonstrativum eo tantum spectat ut sententiam illustret, et supervacuum haberi potest.

*Cat.*, 20, 3 : Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortes fidosque mihi, *eo* animus ausus est maximum atque pulcherrimum facinus incipere. — 37, 4 : Sed urbana plebes, *ea* vero præceps erat de multis causis. — 58, 16 : In fuga salutem sperare, cum arma quibus corpus tegitur, ab hostibus avorteris, *ea* vero dementia est.

Quibus in locis notanda est vis pronominis determinativi quod sententiam prægressam illustrat; sed simul notare debemus locutionis abundantiam; quam raro apud optimos animadvertas scriptores; omnino autem cum sermonis cotidiani indole congruit qui, quo clarior habeatur, non pronomina cumulare et eadem quasi vi integra repetere dubitat. Quamobrem, si comparisonem instituere velis, statim liquet Ciceronem præcipue hanc abundantiam in epistulas accepisse suas.

Cf. Cic., *fam.*, 15, 2, 1 : Erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi atque irrumpere in meam provinciam conarentur, id *eos* per Cappadociam quod ea maxime pateret, esse facturos; 7. 26, 2 : Lex sumptuaria, quæ videtur *λιτότητα* attulisse, *ea* mihi fraudi fuit.

Epistulico igitur dicendi generi, ut Madvigius, summus et eruditissimus vir, opinatus est, propria est hæc pro-

nominis redundantia <sup>1</sup>. *Jug.*, 54, 4; 80, 4. *Id ea gratia eveniebat* Sallustius scripsit, quibus cum locis conferre liceat *Cat.*, 52, 7, ubi *ea causa* legitur. Cujus locutionis brevitatis notanda est. Notemus etiam hoc præcipue a veteribus scriptoribus, Plauto, Ennio, Terentio et Catone <sup>1</sup> adhibitum, optimis vero scriptoribus esse alienum. Quamobrem quibusdam sermoni cotidiano hæc locutio adscribenda videtur. Sed, ut opinor, quod ad Sallustium pertinet, non ita res est. Nobis enim in mentem venit apud veteres immortalem illam Sallustii, ut ait Quintilianus, velocitatem, ejus brevitatem dicendi quasi laudatam esse. Huic brevitati hic locus est. Sallustium verisimile est hic *ea gratia* pro *ejus rei gratia* scripsisse, haud aliter atque *ea causa*, quod acceptum est et facile intellegitur, haud aliter atque *Jug.*, 54, 6, *ea formidine* pro *earum rerum formidine*, 83, 1, *eo dolore* pro *dolore quem ex hac re capiebat*. *Cat.* 30, 3, *ea loca* pro *ejus terræ loca*. 42, 3, *ex eo numero* pro *ex eorum numero* ponitur.

Quibus ex locutionibus patet quanto studio scribendi

1. Si his paucis exemplis alia addere velis, vid. Drægeri opus *Historische syntax der lateinischen Sprache* qui, I, p. 82, jure meritoque laudat Liv. I, 16; I, 49; 3, 58; 5, 37; 6, 19, 4; 6, 26; 25, 27; 29, 15. Vide etiam Holtzii magnum opus *De priscorum scriptorum latinorum syntaxi* qui multa ex Catone exempla excerpit R. R., c. I. vicini quo pacto niteant, *id* animum advertito. C. 5. Amicos domini *eos* habeat sibi amicos. Item fœnum cordum, sicilimenta de prato *ea* avida condito. C. 6 Idem ager si nebulosus est, rapa, raphanos, milium, panicum *id* maxime seri oportet. C. 8. Africanas et Herculanas, Saguntinas, hibernas, Telenas atras pediculo longo, *eas* in loco crasso aut stercoreato serito. C. 20. Columellam ferream, quæ in miliario stat, *eam* rectam stare oportet in medio ad perpendicularum. C. 58. Postea oleas tempestivas *eas* condito. C. 157. Cancer ater *is* olet. Plaut. *Stich.* 1, 1, 12. Ter. *Eun.*, 5, 4. Denique videre licet annotationem quam Madvigius editioni suæ *de Finibus bonorum et malorum*, V, 8 inseruit, quaque cotidiana species illius abundantiae plurimis exemplis demonstratur.

brevitati indulserit Sallustius. De eadem brevitate hic agitur.

II. Pronominis reflexivi usus apud Sallustium etiam aliquod singulare exhibet. Legimus enim :

*Jug.*, 61, 1 : in eis urbibus, quæ *ad se* defecerant, præsidia imponit. — 66, 1 : civitates, quæ *ab se* defecerant, formidine aut ostentando præmia adfectare. — 88, 4 : statuit urbes quæ viris aut loco pro hostibus et advorsum *se* opportunissimæ erant singulas circumvenire. — 103, 2 : reputando quæ *sibi* duobus præliis venerant.

Non possumus non mirari pronominis reflexivi usum, ubi pronomen demonstrativum *is* locum tenere solet, donec inquiramus quo modo indicativi pro conjunctivo usum explanare liceat.

Quod si perspicere placet num ceteri scriptores eadem ratione usi sint, apparet hoc præcipue Catoni, comicis poetis et rarissime prioribus scriptis aut epistulis Ciceronis, historiæque scriptoribus quasi proprium fuisse, in optimæ vero latinitatis exemplaribus nil tale adesse.

SCHMALZIUS igitur, post REBLINGIUM, non immerito, ut opinor, censuit hoc cotidiano sermoni tribuendum esse; quod ni accipiatur, videtur hic orationem rectam in obliquam in eodem proposito quasi subito verti, quod non potest non rarum haberi.

III. De pronomine relativo notandum est post illud apud Sallustium vocabulum antecedens repeti. Vid. *Cat.*, 51, 40 : *Tum lex Porcia aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est.* Num sese ita res habet ut in permultis exemplis quæ Dræger (II, p. 499 sqq.) affert, quorumque pleraque e vetustissimis scriptoribus excerpuntur vel ex iis scriptis quæ neglec-

tiora habentur? Num hic sermonis plebeji apparet vestigium, quod plebs non dubitat eadem verba proxime ponere et iterare? Non ita quidem opinamur. — Si enim enunciationem totam, qualis apud Sallustium adest, perlegimus, apparet Sallustium primum hic rationem dicendi accepisse quæ legum et jureconsultorum sermoni<sup>1</sup> propria esset, deinde eo spectasse quo clariorem efficeret sententiam et explanaret pronomen relativum « quibus » non antecedentibus propositis sed tantum *leges* vocabulo jungendum esse.

Quæ igitur ejusdem verbi iteratio non ex negligentia dicendi, sed ex perspicuitatis studio originem ducit.

IV. Schmalzius legit *Cat.*, 44, 5 : *Qui sim ex eo quem ad te nisi cognoscas.*

Cum is qui interrogat, ut ait Kritzius, nihil scire vult præter personam ipsam, quatenus nomine ab aliis dignoscatur, *quis* poni solet. Cum Schmalzius, nescio quam ob causam et contra codicum auctoritatem, *qui* legat, jure meritoque miratur *quis* pro *qui* usurpari et contendit hoc plebejo sermoni tribuendum esse. Sed ex omnibus iis qui Sallustii scripta vulgaverunt, neminem reperias qui *quis* legerit. Annotationi igitur Schmalzii non locus est.

V. 1. Sallustius permulta exempla præbet pronominis *uterque* plurali numero usurpati, quamvis tantum de duabus personis agatur et « *uterque* » non substantivis jungatur quæ semper plurali numero adhibentur, *Cat.* 30, 4, *ei utrique ad urbem imperatores erant*; — 38, 4, *utrique*

1. Vid. Diss. philol. Argentorat., 1879, II, p. 371-372, exempla quæ Thielmann refert. Inde dilucide apparet hunc usum, quod ad *legem* vocabulum attinet, satis universum fuisse.

*victoriam crudeliter exercebant. Jug., 13, 9, senatus utrisque datur; — 15, 2, utrique curia egrediuntur; — 18, 12, utrique alteris freti finitimos armis aut metu sub imperium suum coegere; — 22, 5, ita utrique digrediuntur.* Non ejusdem generis apud optimos scriptores exempla proferre licet. Contra apud historiae scriptores quales sunt auctores *de Bello Africano* (28, 53, 61. 81) et *de Bello Hispaniensi* (7, 31) librorum, CORNELIUS NEPOS, *Timol.*, 2, 2. *Dat.*, 11, 2. 4, 2. *Con.*, 4, 5. TITUS LIVIUS, 9, 12, 2. 27, 22, 2. 29, 37, 17. 30, 8, 7. 32, 17, 15. 36, 16, 5. 42, 34, 4. 42, 54, 8, non desunt exempla. Verisimile est igitur, ut censet vir doctissimus Otho Riemann <sup>1</sup> in præclarissimis de Liviano sermone commentationibus, *utrique pro uterque plebejo sermoni assignandum esse, cujus exemplaria adsunt de Bello Africano et de Bello Hispaniensi libri.*

2. Restat nunc, ut, quod ad pronominum usum apud Sallustium attinet, notemus non semel *alii* adhiberi ubi *ceteri* potissimum usurpari solet. Hæc exempla Riemann in Sallustio colligit.

*Cat.*, 27, 2 : ipse cum telo esse, item *alios* jubere. — 43, 3 : languentibus *aliis*. — *Jug.*, 46, 2 : *alia* omnia dederent populo Romano. — 52, 2 : Jugurthæ *alia* omnia præter milites opportuna. — 54, 2 : transfugas et *alios* opportunos. — 58, 3 : locum cepere paulo quam *alii* editiorem. — 63, 2 : præter vetustatem familiæ *alia* omnia abunde erant. — 85, 4 : *alia* infirma sunt. — 85, 44 : *alia talia* relinquunt nobis. — 89, 3 : *aliis* negotiis. — 94, 3 : sicut *aliis* diebus.

Si inquirimus quatenus ejusdem rei exempla apud optimos scriptores notari possint, et animadvertimus

1. Vide *Etudes sur la langue de Tite-Live*, 1879, p. 143-144.



hoc priorum sermoni scriptorum proprium <sup>1</sup> esse, Riemanno <sup>2</sup> assentimur qui opinatur hoc etiam forte a Sallustio et Livio ex sermone plebejo in politam orationem translatum esse.

§ 3. — De Verbis.

*De temporibus ac modis.*

I. DE INDICATIVO.

1. Sæpius notatum est indicativum modum frequentissime a Sallustio usurpatum esse, adeo ut conjunctivi loco nonnunquam poni videatur. Itaque quasi insitum Sallustio studium quoddam aliquot agnoverunt. Quod, ut opinamur, modum superat. Ex legibus grammaticæ satius est hunc singularem et nimium indicativi usum explicare.

Indicativus, contra linguæ consuetudinem, usurpatur a Sallustio primum post conjunctiones quasdam, deinde in enunciatis secundariis quæ ab infinitiva enunciatione pendent, quæque apud optimos scriptores conjunctivum habent modum. Utrumque casum intuemur.

1. Sallustius scripsit.

*Cat.*, 60, 7 : Catilina *postquam* fusas copias seque cum paucis relictum *videt*, .....in confertissimos hostes *incurrit* ibique pugnans confoditur. — *Jug.*, 76, 6 : ei *postquam* murum arietibus feriri resque suas adflictas *vident*, aurum atque

1. Vid. Ter., *Eun.*, III, 4, 8; IV, 7, 6; IV, 7, 40. *Ad.*, II, 3, 5; III, 3, 62; V, 3, 46. *Hec.*, II, 1, 3; II, 3, 24; V, 2, 40. *Haut.*, I, 2, 36; II, 1, 9; IV, 8, 14.

2. Vid. Riemann., *op. cit.*, p. 144-145.

argentum et alia, quæ prima ducuntur, domum regiam *comportant* <sup>1</sup>.

Si Köhlerio <sup>2</sup> fides adhibenda est, qui notat idem *tempus præsens* occurrere in *Bello Africano*, 73, 5, ubi legitur : *postquam abhorrere eos videt, reducit sub vesperum legiones in castra*, nos huic consuetudini præsens historicum cum illa particula jungendi occurrimus, quæ maxime est *comica*, « quippe, ut ait Köhler, cum homines in familiari sermone, ut quam dilucidissime atque expressissime res describant, præteritum in præsens traducere soleant, maximeque id fit in ipso illo verbo *videndi*, velut apud Plaut. *Capt.*, III, 1, 26 :

abeo ab illis, postquam *video* me sic ludificarier.

Apud TERENT., *Hecyr.*, V, 3, 28 :

..... ille alias res agere se simulare, postquam id *video* nescio quid suspicarier, magis *cæpi* instare ut dicat.

Quid de hac re sentiendum?

Profecto, ut Dræger <sup>3</sup> profitetur, minora exempla afferri possunt, in quibus *tempus præsens* occurrit. Profecto comici præsertim poetæ præsentem tempore tali in re uti solent. Sed non, ut opinamur, inde apparet illum usum ab optima lingua alienum esse. Notandum est enim, præcipue cum verbis *sentiendi*, *postquam* conjunctioni præsens *tempus* adjici. Quid igitur mirum, quod ad Sallustium spectat, a rerum scriptore,

1. Quibus exemplis addere possimus, *Jug.*, 53, 3; 61, 1; 79, 7; 86, 1.

2. Vid. Köhler., *lib. cit.*, p. 419.

3. Vid. *Synt. Hist.*, p. 583, et exempla quæ affert.

cum res narret, omnia spectari tanquam præsentī tempore ante oculos ejus obversarentur, et ita exhiberi ut legentes ipsi rerum spectaculo adsint. Haud aliter agunt poetæ. Testis adest Vergilius<sup>1</sup>, apud quem legi potest :

*Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni...  
Fertque refertque sonans clypeumque everberat alis.*

Non igitur hic est locus cur offendamur.

2. Eundem indicativum modum legimus post *quippe* qui, quamvis apud Ciceronem et optimos scriptores huic semper vocabulo conjunctivus jungatur. In his locis *quippe qui* cum sequente indicativo legitur :

*Cat.*, 13, 3 : *quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant.* — 48, 2 : *quippe cui omnes copiae in usu cotidiano erant.* — *Jug.*, 1, 3 : *quippe probitatem — neque dare, neque eripere cuiquam potest.* — 7, 6 : *quippe cujus neque consilium neque inceptum ullum frustra erat.* — 14, 10 : *quippe quis hostis nullus erat.* — 20, 7 : *quippe qui totum ejus regnum animo jam invaserat.* — 28, 1 : *quippe cui Romae omnia venum ire in animo hæserat.* — Adde *Jug.*, 8, 1; 54, 8; 76, 1; 85, 32; 86, 3; *H.*, III, 1, 4 Kr.

Exempla igitur non desunt, nec ullum adest quod *quippe* cum conjunctivo præbeat.

Si Baldstübnerii<sup>2</sup> sententiam accipimus, « hoc inde videtur factum esse, quod Sallustius ubique ad illustranda præcedentia rebus utitur, quæ vere fuerunt aut factæ sunt, et rationis necessitudinem, quæ inter utrumque enunciatum intercedit, prorsus neglegit. » Non aliter opinatur Kritzius, qui ait ubique a Sallustio *quippe*

1. Vid. *Æn.*, XII, 864-866.

2. Vid. « de Sallustii genere dicendi » commentationem, p. 41.

aut *quippe qui* cum indicativo conjungi, quo efficitur ut relativum enunciatum præcedenti sententiæ non, tanquam pars necessaria causali nexu copulata, adhærescat, sed simpliciter juxta collocetur.

Profitemur quidem, si inquiremus apud quos scriptores hunc usum indicativi post *quippe* inveniamus, illam interpretationem nullo modo nobis placere. *Quippe* enim eodem modo jungitur indicativus apud PLAUTUM *Amph.*, *Prol.*, 22. *Aul.*, 2, 5, 22. *Rud.*, 384. *Truc.*, 1, 1, 49, apud TERENCEM, *Haut.*, III, 2, 28, et apud scriptores qui post Sallustium veniunt quorumque sermonem constat ab urbano usu abhorreere, quales sunt APULEJUS (*Met.*, 1, 24. 11, 24. *de mag.*, 29) AURELIUS VICTOR (*Cæs.*, 3, 7. 20, 33. 21, 3) VOPISCUS (*Aur.*, 5). Quamobrem forte con- jicere licet nobis hic cum plebeji sermonis usu rem esse. Ut enim Haasius (ad Reisig. adnot., 504) optime probat, plebejus sermo enunciatorum connexum laxat et aliud enunciatum juxta aliud ponit, ita ut non jam mirandum sit quod conjunctivus rarius adhibeatur quam indica- tivus modus.

Verisimile est igitur structuram illam in plebejo ser- mone sedem habuisse et inde a poetis scænicis et a Sallustio ductam esse.

3. Indicativus modus occurrit etiam apud nostrum in sentiis obliquæ orationi insertis, cum leges, quæ vulgo de ea re proponuntur, conjunctivum exposcant modum. Cujus rei exempla haud pauca sunt; inter quæ proferamus :

*Cat.*, 14, 7 : scio fuisse nonnullos qui ita existumarent, ju- ventutem, quæ domum Catilinæ *frequentabat*, parum honeste pudicitiam habuisse. — 27, 4 : docet se Manlium præmissis

ad eam multitudinem quam ad capiunda arma *paraverat*. — 30, 6 : si quis indicavisset de conjuratione, quæ contra rem publicam facta *erat*. — 50, 3 : consul refert, quid de iis fieri placeat, qui in custodiam *traditi erant*. — 51, 32 : homines scelestos — qui seditionibus rempublicam *exagitaverant*, merito necatos aiebant. — *Jug.*, 16, 2 : decretum fit, uti decem legati regnum quod Micipsa *obtinuerat*, inter Jugurtham et Adherbalem dividerent. — 54, 1 : hortatur ad cetera quæ *levia sunt* parem animum gerant. — 63, 1 : magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat; proinde quæ animo *agitabat*, fretus dis ageret. — 106, 3 : etiamsi certa pestis adesset, mansurum potius quam, proditis quos *ducebat*, turpi fuga incertæ ac forsitan post paulo morbo interituræ vitæ parceret. — 111, 2 : ad hoc metuere, ne fluxa fide usus popularium animos avorteret, quis et Jugurtha carus et Romani *invisi erant*.

Ex iis exemplis, quibus plura adjicere aptum sit, clare apparet quasi indole animi impulsum esse Sallustium ut pro conjunctivo indicativum scriberet. Qui modus ponitur in enunciatis quæ seu ex infinitivis seu ex conjunctivis enunciationibus pendent. Num hic Haasii ad Reisigium annotatio 504 accipienda est, qui opinatur illum indicativi usum, qui frequentius apud comicos poetas occurrat, ab iis e plebejo sermone haustum esse, plebis enim homines, ut supra de *quippe* conjunctione diximus, nihil magis neglegunt quam strictum enunciatorum connexum qui grammaticæ legibus ponitur? Num Sallustius agendi rationem comicorum hic imitatus est, et, plebis more, grammaticæ leges consulto violavit?

Profecto si Sallustio plebeji sermonis usum de industria assignare placeret, in hanc sententiam statim iremus. Sed mihi intuente quo modo ceteri scriptores vel optimi sese in illum indicativi usum habuerint, liquet

non ita raro indicativum pro conjunctivo usurpatum esse, quamvis plerique scriptores conjunctivum adhibuerint in enunciationibus de quibus nunc agitur.

Exempla enunciatorum, in quibus indicativus aliquid singulare præbet, afferunt præsertim et Cæsar et Livius<sup>1</sup>; et Cicero nonnunquam in philosophicis scriptis, eodem pacto, indicativo usus est.

Cum igitur vel apud optimos scriptores id ipsum, quod grammaticis vitium videri potest, occurrat, non a similitudine veri abhorret in enunciatis quæ ex infinitivis pendent aut conjunctivis, a Sallustio indicativum positum esse quia nunc memoret quod re ipsa actum est, et omnem dubitationem, conjunctivo propriam, abjiciat, nunc simpliciter « narret ea membra quibus res factæ commemorantur » et sibimet sumat quod alii assignandum esse videretur<sup>2</sup>.

Sed eadem interpretatio non accipienda videtur in iis enunciatis quæ supra protulimus, et a quibus, quamvis reflexivum pronomen occurrat, abest obliquæ orationi proprius ac peculiaris modus.

Apud Sallustium enim legimus :

*Jug.*, 61, 1 : Metellus — ab Zama discedit et in iis urbibus quæ *ad se defecerant* — præsidia imponit. — 66, 1 : civitates

1. Vide Kühner, II, 1035. A. 2, qui plurima affert exempla. Cæs. *B. G.*, 1, 18, 1. *B. C.*, 6, 10, 5, 3. 2, 1. Cic. *Tusc.*, 1, 41, 98. *Cat.*, 22, 79. *Div.*, 2, 19, 44.

2. Hic Caroli Thurot sententiam memorare debemus : « On rencontre souvent le subjonctif et l'indicatif employés dans les propositions relatives dépendant d'un verbe à l'infinitif ou au subjonctif, sans qu'on puisse découvrir les raisons qui ont fait préférer l'un des deux modes à l'autre. L'emploi du subjonctif au style indirect n'était pas même d'un usage absolument constant. Le subjonctif est un luxe du langage. En réalité l'indicatif.... suffirait à l'expression de la pensée, et on comprend que souvent l'usage s'en soit contenté. (*Revue critique*, 1872, p. 13.)

quæ *ab se defecerant* — adfectare. — 88, 4 : statuit urbes, quæ viris aut loco pro hostibus et *advorsum se* opportunissimæ *erant*, singulas circumvenire. — 103, 2 : Tum rursus Bocchus seu reputando quæ *sibi* duobus præliis *venerant*.

In his locis, non possumus, haud aliter ac Kritzius, non mirari indicativi modi usum in enunciatis cum pronomine reflexivo junctis.

Num Drægero assentiendum est qui hic orationem obliquam accipit, etsi huic proprius modus non apparet? Exemplis, quæ Dræger (I, 75 § 30) ipse affert, tali interpretatione interdicitur. Qui enim scriptores ad talem usum confugerunt? Cato scilicet in libris *de Re rustica*, Plautus in fabulis, Cicero in prioribus scriptis tantum, et in epistulis ad Atticum et ad Quintum fratrem, Belli Africani auctor, Horatius in sermonibus, Nepos, Suetonius solum inter scriptores qui Sallustium antecesserunt vel secuti sunt, exempla illius rei præbent. Nonne igitur verisimile fit sermone politissimo talia quasi rejecta fuisse, et illam neglegentiam potius ad cotidianum sermonem revocandam esse, quo simplicior, ut ait Hellmuth<sup>1</sup>, grammaticæ ratio summe appetitur?

## II. DE CONJUNCTIVO.

Quod ad conjunctivi usum attinet, minora agnoscemus quæ admirationem movere debent.

Annotemus primum verbis *præcipiendi* similibusque quibus voluntas aut consilium indicatur, ut ait Baldstübner<sup>2</sup>, haud raro, *ut* particula omissa, solum conjunc-

1. Vid. *Act. Erl.*, I, p. 130.

2. Vid. « De Sallustiano dicendi genere » commentationem, p. 37.

tivum subjunctum esse. Cujus rei exempla non desunt. Aliquot tantum proferenda sunt.

*Cat.*, 29, 2 : *senatus decrevit darent operam consules.* — *Jug.*, 28, 1 : *eis... præcipit, omnes mortales pecunia aggrediantur.* — 35, 2 : *huic... persuadet... regnum Numidiæ petat.* — 35, 4 : *Bomileari imperat pretio insidiatores Massivæ paret.* — 54, 1 : *hortatur ad cetera — parem animum gerant.*

Eodem modo *ut* particula detrahitur cum verbis :

*Mandare. Cat.*, 32, 2. — *Obtestari. Cat.*, 33, 5. — *Permittere. Cat.*, 45, 1. — *Petere. Jug.*, 102, 2. — *Litteras mittere. Jug.* 25, 5 : *litteras ad Jugurtham mittant quam ocissime ad provinciam accedat.* — *Nuntios mittere. Jug.*, 97, 1 : *nuntios misit quam primum — copias adduceret.*

Krautius in illam particulæ detractioem animum intendit et opinatur in ea familiare aliquid inesse; quam sententiam exemplis ex Jordano<sup>1</sup> excerptis fulcit, ubi in epistulis *Varii Clementis* et *Porcii Vetusti* (quæ epistolæ sermone plebejo inficiuntur) *horteris veniat et rogaturus eram concederes nobis* legit.

Quæ exempla non ita mihi valere videntur ut menti imponant curam illam particulæ omissionem cotidiano sermoni assignandi. Etenim eadem res se apud plerosque scriptores habet tam crebro ut non jam morandi sit locus; et Kühner<sup>2</sup> acutissime scripsit : « Apud verba *efficiendi, volendi, precandi, mirandi*, non semel conjunctivus tantum sine *ut* usurpatur. »

Sallustius igitur non a ceterorum scriptorum dicendi ratione discessit.

1. Vid. *Krit. Beitr. zur Gesch. der lat. Sprache*, p. 264.

2. Vid. *Ausführ. Gramm.*, II, 888, 2.

Sermoni cotidiano libentius assignemus usum secundæ conjunctivi præsentis personæ pro imperativo.

Apud Sallustium legitur, in epistula Catilinæ Catulo *Cat.*, 35,6 « eam ab injuria *defendas* ».

Hoc, ut inter grammaticos constat, non in communi scriptorum consuetudine versatur. Epistulico vel comico dicendi generi magis proprium est.

Cf. PLAUT. *Epid.*, 1, 2, 41 sq. *Amph.*, II, 1, 8; III, 2, 47. *Asin.*, 1; I, 3, 28, 9. *Pers.*, 140. CIC. *ad Att.*, 1, 17, 11. 4, 18, 3. 10, 15, 4. *Fam.*, 9, 26, 1. 14, 4, 3. 16, 9, 4. *Qu. fr.* 1, 3, 10.

Sermonis igitur cotidiani vestigium hic agnoscamus.

### III. DE GERUNDIVO.

Sallustius exempla præbet, in quibus gerundivum usurpatur eodem sensu quo participium præsens.

Inter quæ annotemus ea quæ illam usus mutationem optime demonstrant :

*Cat.*, 61, 2 : quem quisque vivus *pugnando* locum ceperat.  
— *Jug.*, 103, 2 : Bocchus seu *reputando* quæ sibi duobus præliis venerant.

Hactenus rariora exempla ejus rei occurrerunt. Sallustius autem hac ratione gerundivi ablativum usurpavit, et Augusteæ ætatis scriptores illum usum vulgaverunt, donec, cum latinitas in latinitate quærenda esset, romanicæ linguæ participio præsentis gerundivi ablativum antetulerint. Nonne verisimile est hoc plebejo sermoni assignandum esse, quantum nobis licet e romanicis linguis proficiscentibus ætatem integræ latinitatis repetere?

Nonne videtur legem « quam scriptores servabant, ut ablativo gerundii et gerundivi absolute posito instrumentum, quo quid efficitur, exprimi, temporis ratione tantummodo addita *in* præpositione significari vellent, a plebe neglectam esse? » Quod ceterum scriptorum vulgarium exempla testantur.

Cf. PLAUTUM, *Truc.*, 5, 24 : ita miser *cubando* in lecto hic *expectando* obdurui. — TERENCEM, *Eun.*, V, 2, 7-8 :

...ita miserimus

Fui *fugitando*, ne quis me cognosceret.

VITRUVIUM, 38, 13 : *siccescendo* contrahuntur. — 57, 2 : *recipiendo* celeriter marcescunt.

#### IV. DE SUPINO.

Restat nunc ut supini usum apud Sallustium observemus.

Constat inter omnes, paucos fuisse e scriptoribus latinis qui, magis quam Sallustius, cum supino structura usi sint. Placuitne Sallustio sermonem cotidianum hic imitari?

Profecto hæc temeraria videatur sententia, si commoremur in usu supini cum verbis, qualia *mittere*, *venire*, *convenire*, ejus usus participes sunt optimi scriptores, quod hæc omnia verba motus significationem habent. Sed non ita res est, quod ad locutionem *perditum ire* attinet, quæ nihil aliud significat quam simplex *perdere*.

*Perditum ire* pluribus locis legitur :

*Cat.*, 36, 4 : fuere tamen cives qui seque remque publicam — *perditum irent*. — 52, 12 : bonos omnes *perditum eant*. — *Jug.*, 31, 27 : ne ignoscendo malis bonos *perditum eatis*.

Conferre possumus *ultum ire* locutionem quæ *Jug.*, 68, 1 legitur, et *ereptum ire Jug.*, 85, 42. Clare nobis apparet *perditum ire* et *ultum ire* futuri, non motus significationem in se habere. Si inquiramus an communis hic usus fuerit, non jam nobis dubitandum est quin rarior apud optimos scriptores, comicis poetis satis familiaris fuerit et a ceteris scriptoribus quasi rejectus. Apud Ciceronem unum tantum exemplum nobis adest *Ep.* 14, 15. Verisimile igitur est, ut ait Baldstübner (*De Sallustiano dicendi genere*, p. 49), illam dicendi rationem, quantum ex frequenti comicorum usu conjectura assequi licet, in cotidiana vita latissime patuisse, et Sallustium adeo valuisse ut in scriptorum sermonem accepta sit.

Postquam exposuimus quid de temporum ac modorum usu apud Sallustium sentiamus, ad casuum syntaxin transeamus, prætermisso casuum usu qui nihil singulare præbent.

#### § 4. — De casibus.

1. *De genetivo.* Pretii genetivus primum nobis notandus est. Quem Sallustius non semel usurpavit vel in locutionibus quas apud optimos scriptores frustra requiras.

Sic legimus apud eum :

*Cat.*, 5, 6 : neque id quibus modis assequeretur — *quicquam pensi habebat.*

Quod idem legitur *Cat.*, 12, 2; 23, 2, *Jug.*, 41, 10. Atqui, ut Dräger (I, p. 464) ipse profitetur, sermoni

cotidiano propriæ sunt et peculiare hæ locutiones inter quas profert *floci, nauci facere; pensi esse; nihili facere*. Quæ enim leguntur apud comicos tantum et in primis apud Plautum.

Cf. PLAUT., *Pæn.*, 1, 2, 168 : non ego homo *trioboli* sum *Capt.* 3, 1, 17 : neque ridiculos jam *terunci* faciunt. *Pseud.*, 4, 7, 1 : homo *nihili*. *Truc.*, 2, 7, 50 : hominem non *nauci*.

Crede igitur licet illam locutionem *pensi habere* a Sallustio ex cotidiano sermone ductam esse <sup>1</sup>.

II. *De dativo*. Dativus cum verbis quibusdam a Sallustio contra normam adhibitus est. Annotemus *decere, dolere*.

H. 1, 9, 100 Kr. : *quam* victoribus *decebat*. — *Jug.*, 84, 1 : alia præterea magna pro se et *illis dolentia*.

Utrumque usum plebejo sermoni proprium esse Krautius iudicat.

Si enim intuemur quatenus hæc apud Latinos scriptores legantur, quid nobis apparet?

DECERE cum dativo usurpatur a paucis scriptoribus.

PLAUTUS, *Pers.*, 213. TERENTIUS, *Haut.*, V, 2, 12; *Adel.*, III, 4, 45; V, 8, 5. — GELLIUS, 9, 15, 4 : præfatur arrogantius quam *ætati* ejus *decebat*. — APULEIUS *Flor.*, 3, 16, p. 70 : ratio

1. G. Boissier, vir ornatissimus et doctissimus, in *Doctiorum Actis* quæ « *Journal des Savants* » inscribuntur (août 1884), scripsit : « Nous avons un billet authentique de Catilina, lorsque, troublé par les menaces du consul, et ayant probablement perdu la tête, il quitta précipitamment Rome pour l'Etrurie. On y lit cette phrase singulière : *Satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi* (Cat. 35). C'est évidemment une tournure du *sermo plebejus*. » — *Conscientia de culpa* cum « *his de rebus conscium esse Pisonem et M. Laterensem* » (Cic., *ad Att.*, II, 24, 3) conferri potest.

quæ deceat philosopho. — DIG. 32, 1, 23 : *deceat tantæ majestati eas servare leges.*

Apud ceteros scriptores nullum ejus usus vestigium apparet. Cum igitur accusativus semper *decere* verbum sequatur, verisimile est illud penitus plebejo sermoni proprium fuisse.

Aliter autem sese res habet quod ad verbum *DOLERE*.

Namque si *dolere*, cum significat *dolorem percipere* aut *mærere*, accusativum secum habet, cum eodem sensu adhibetur quo *dolorem afferre*, dativus sæpius id sequitur.

Cujus rei exempla non solum a Plauto et Terentio exhibentur, sed etiam quod satis hic per se valet a Cicerone qui *de Or.*, 1, 230, *nihil cuiquam dolet, cui dolet meminuit* scripsit.

Quamvis igitur pauciora exempla *dolere* structuræ cum dativo nobis adsint, nobis tamen proferre licet quæ probent non ita illam structuram a parva latinitate declinavisse.

*parvâ?*

III. *De accusativo.* Accusativi usus eadem exhibet.

In fragmento incerto quod ex Arusiano, p. 255, excerpit Kritzius, Sallustius videtur accusativo cum verbo « potiri » usus esse. Legitur enim hoc loco *cuncta potiundi*. Quæ structura rarissima est. Apud veteres poetas, et Sallustiana ætate in *Bello Africano* et in *Bello Hispaniensi* tantum occurrit. Vide Pacuvium apud Nonium, 481, 32, *potiri regnum*. Accium, *potiri sceptrum*. Bell. Afr., 36, 4, *potiri castellum*; 39, 3, *potiri locum*, 68, 2, *potiri oppidum*; 87, 4, 89, 2, *potiri castra*; Bell. Hisp., 16, 4, *potiri prædam armaque* <sup>1</sup>; scripturam, quam quidam

1. His addere licet : Plaut., *Rud.*, 190 *laborem potiri*. Ter. *Ad.*, 870, *patria potitur commoda*. 876, *hic potitur gaudia*. Næv. *ap. Non.*, 481, 28,

Ciceroni, *Tusc.*, I, 37, de *Fat.*, 7, 13, *Off.*, 2, 23, 81, assignant, falsam esse constat. Verisimile est igitur, cum optimi scriptores potiri cum *genetivo* vel *ablativo* casu scribant, illam cum *accusativo* in plebejo sermone sedem habuisse verbi « potiri » structuram.

Quæ sententia accipienda est de structura verbi *vesci*.

Apud Sallustium legimus : *H.*, III, *Fr.* 28 *Kr.*, *morbi graves ob inediam insolita vescentibus*.

*Insolita* quidem ex verbo *vesci* pendere videtur. Cujus rei pauca exempla afferri possunt. Nullum exhibet Cicero. Conferamus tantum :

Acc. apud Nonium, 415, 28 M : eandem *vescatur* dapem. *TIB.*, 2, 5, 63 : sacras innoxia *laurus vescar*. *PHEDR.*, 1, 31, 11 : regnum adeptus cœpit *vesci singulas* (s. e. *columbas*). *TAC.*, *Agr.*, 28 : ad extremum inopiæ venere, ut *infirmissimos* suorum mox sorte *ductos vescerentur*. *PLIN.*, 8, 50 (76) : si caprinum *jecur vescantur*.

Rarior igitur est structura cum *accusativo*, dum plerique scriptores *ablativo* utuntur. Nonne credendum est plebejam fuisse illam structuram ?

IV. *De ablativo*. Hic primo annotare decet casum *ablativum* usurpari cum *adjectivo*, quod ab optimis scriptoribus cum *genetivo* adhibetur.

a) Legimus enim *Cat.*, 33, 1, plerique *patriæ*, sed omnes *fama atque fortunis expertes* sumus.

Quæ structura apud vetustiores tantum poetas occurrit, dum ab orationis pedestris scriptoribus *adjectivum experts* semper cum *genetivo* usurpatur. Hic iterum Sallustius a

eum potiti. *Lucr.*, 3, 1038, *sceptra potitus*. *Nep.*, 18, 3, 4, qui *summam imperii potirentur*. *Apul. Met.*, 10, 35, *portam potitus*. *Flor.*, 2, 15, p. 55, *Polycrates Samum potiebatur*. *Gell.* 13, 1, 5, *Elisa quæ mortem per vim potita est*. *Just.* 6, 4, 8, *potiti victoriam*; 9, 7, 12, *ultionem potita est*.

communi consuetudine discessit. Sed non possumus non notare in eodem enunciato *expers* adjectivum et genetivo et ablativo jungi. Non possumus non meminisse hanc structuræ mutationem parum Sallustio fuisse alienam. Si hanc sententiam exemplis confirmare placet, proferendum est quo modo noster verbo *potiri* utrumque casum genetivum et ablativum jungat (Cf. *Jug.*, 74, 3: *Romani armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti*), et simul *docere* cum ablativo et accusativo usurpet.

*Cat.*, 25, 2: *litteris Græcis atque Latinis docta, ... multa alia.*

Ostendere etiam possumus ut Sallustius verbi numerum in eodem enunciato vertat. Quibus ex exemplis apparet nostrum varietate dicendi permultum usum esse. Eadem res est, quod ad *expers* adjectivi usum attinet. Profecto rarior est per ablativum cum hoc adjectivo structura. Sed, cum Sallustius varios casus cum eodem vocabulo adhibere quasi in consuetudinem verterit, mihi videtur non, ut Krautius judicat, hic a sermone plebejo mutationem accipiendam esse, sed novum ejusdem moris exemplum.

b). Ablativus etiam a Sallustio positus est ad temporis perpetuitatem significandam.

Legitur enim;

*Jug.* 54, 1: *quadriduo moratus*. — 94, 3: *quamquam toto die intentos prælio Numidas habuerat*.

Ex eo quod plerumque accusativus adhibetur ad illam, quam dicimus, perpetuitatem significandam, Schmalzio apparet plebejo sermoni proprium esse ablativi pro

accusativo usum. Quam accipere sententiam nostrum sit, si hic usus omnino ab optimis scriptoribus ejiciatur. Sed non ita res est. Si enim inquiremus quatenus structuræ cum ablativo scriptores, Sallustii quidem æquales<sup>1</sup>, exempla afferant, nobis clarum fiet, si accusativus frequentius appareat, exempla structuræ, de qua agitur, non deesse.

Præterea vetustiores latini scriptores accusativum usurpaverunt; nec Sallustius ipse hunc casum respuit. Scripsit enim :

*Jug.*, 69, 3 : *biduum lætati*. — 91, 3 : *noctemque totam itinere facto consedit*.

Proinde, quod ad Sallustium spectat, modus forte superetur, si quis hic vestigium plebeji latini sermonis requirat.

c). Ablativum cum præpositione *ab* urbis nomini soli adjunxit Sallustius. Legimus enim : *Cat.*, 40, 5, tum *Brutus ab Roma aberat*<sup>2</sup>.

Hoc tam raro apparet ut Sallustiani codices non eandem præbeant scripturam. Præpositio illa in quibusdam deest. Sed Prisciani testimonium, qui hoc ipso loco nititur ut subjungi præpositiones urbium nominibus contendat, ita valet ut hanc veram habeamus scripturam. Hanc autem grammatici legem instituerunt non præpositionem adjungendam urbis nomini, nisi simul indicetur quod intervallum ab hac urbe separet vel

1. Cf. Cic., *Off.*, 3, 2. *Div.*, 1, 19. Cæs., *B. G.*, 1, 26. *B. C.*, 1, 7. 1, 46. 47. 3, 59.

2. Hunc unum locum afferimus. Cetera enim nihil quod notemus præbent.

tantum proxima urbi regio significetur. Quod a plerisque scriptoribus confirmatur. Sallustius igitur a communi usu abhorruit; quamobrem Schmalzio videtur hoc ex sermone plebejo ductum esse qui, perspicuitatis causa, præpositionem urbis nominibus adjicit. Non aliter sentiamus, si præpositionum usus cum urbis nomine nobis certis legibus fundatus esse videatur. Sed si intuebimur<sup>1</sup> qua ratione præpositio *ab* a scriptoribus posita sit, animadvertemus illum usum non ita alienum fuisse Ciceroni, et a Livio hoc quasi in morem conversum esse, quin Vergilii Tacitique exempla proferenda arbitremur. Non igitur hæc structura præpositionis *ab* cum urbis nomine vulgari consuetudini contraria est, et unum exemplum Sallustii cum permultis conjunctum, quæ justum præpositionis usum præbent, non adeo valet ut a Sallustio quicquam hic e plebejo sermone ductum esse existimemus.

d). Si Schmalzius in illo præpositionis usu plebejorum quicquam inesse judicavit, Krautius opinatur, secundum sermonis plebeji usum, præpositionem *in* abesse ab his verbis : *cælo terraque* quæ *Jug.*, 17, 5, leguntur. Vix intellegimus quid mirum habeat hæc structura. Non magis notanda videtur quam ea quæ usurpari solet *terra marique*.

Sallustius igitur, ut opinor, nihil ex sermone plebejo hic mutuatus est.

1. Vid. *Hand. Tuvs.*, p. 10, sq.

§ 5. — De præpositionibus.

Pauca nobis dicenda sunt de præpositionum syntaxi; jam exposuimus quid de præpositione *ab* sentiamus, cum de ablativo disseruimus.

Hoc notare tantum nostrum est.

a). Legitur apud Sallustium :

*Cum animo habere, Jug., 11, 8. — Cum animo reputare, Jug., 13, 5. 85, 10. — Cum animo trahere, Jug., 93, 1. — Cum animo volvere, Jug., 6, 2. 108, 3.*

Plerumque in ejusmodi locutionibus præpositio *cum* deest. Comicis in primis ille usus proprius est.

Inde Krautius concludit hoc ex sermone plebejo translatum esse. Animadvertendum est hoc non Ciceroni<sup>1</sup> ipsi alienum fuisse. Apparet igitur, ut opinor, hanc locutionem sane non frequentius usurpatam, sed non urbano sermone despectam esse.

b). Rarius autem præpositionis loco ponitur *fine*.

Legimus tamen apud nostrum :

*H., fr., 93, 3 Kr., fine inguinum ingrediuntur mare.* Köhler (p. 440) notat hunc usum primo apud Catonem inveniri *de R. R., 113, ansarum insmarum fini; ib., 28, radicibus fini*; postea *B. Afr., 85, 1, umbilici fine*, exemplaque apud LIVIUM, 30, 1, 10; OVIDIUM, *Pont., 1, 4, 18. Halieut., 120*; JUSTINUM, 30, 4, 6; HYGINUM, *Astron., 272; fab. 92*; AUGUSTINUM, *de Civ. Dei., 5, 13*. Si ultra inquireretur, Italicam linguam patebit hunc usum sibi accepisse. Clare igitur apparet sermoni Romanorum plebejo illam locutionem propriam fuisse.

1. Vid. pro Clu., 25, 70; Verr., 3, 41, 93.

§ 6. — De conjunctionibus <sup>1</sup>.

Hic notemus singularem conjunctionis *nisi* structuram, quæ tanquam adversativa particula adhibetur.

Sallustius enim scribit :

*Jug.*, 24, 5 : Plura de Jugurtha scribere dehortatur me fortuna mea, et jam antea expertus sum parum fidei miseris esse. *Nisi tamen* intellego illum supra quam ego sum petere, neque simul anicitiam vestram, et regnum meum sperare. — *Jug.*, 67, 3 : Id misericordiane hospitis an pactione an casu ita evenerit, parum comperimus : *nisi quia* illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus instabilisque videtur. — *Jug.*, 100, 5 : Et sane Marius — *nisi tamen* res publica pariter ac sævissimo imperio bene atque decore gesta.

Illam structuram valde mirati sunt plerique eorum qui Sallustii opera tractaverunt. Plerique etiam illam per ellipsin explanare studuerunt. Item « de hoc usu explicando Handius Tursell., p. 84, docet proprie non aliam esse vim particulæ in his atque in aliis locis <sup>2</sup> hanc dico, ut per eam exceptio fiat, ita tamen ut post enunciationem primariam enunciatio mente addi possit quæ contrariam habet sententiam atque illa, quam deinde non *nisi* sed *si* particula sequatur. » Ex quo apparet, facile in talibus enunciationibus pro *nisi* subjici posse *sed*.

Quæ immutatio conjunctionis in particulam adversativam raro ab optimæ latinitatis scriptoribus usurpata est. Comicis vero poetis propria est <sup>3</sup>, et, ut Schmalzius <sup>4</sup>

1. Jam supra, p. 108, de detractione conjunctionis *ut* disseruimus.

2. Vid. Holtze, *Synt. prisc. script. lat.*, II, 109.

3. Vid. *ibid.*, II, 109, 376.

4. Vid. Schmalz, *Über den Sprachgebrauch der nichticeronischen Briefe* (*Zeitschrift für das Gymnasialwesen*, 1880), p. 102.

notat, hanc structuram verisimile est a poetis scenicis haud aliter atque a Sallustio ex sermone plebejo ductam esse.

§ 7. — De adverbis.

Inter adverbia, quæ a Sallustio usurpantur, illustremus statim adverbiorum *adeo*, *demum* usum, quæ eodem spectant.

1. Utrumque cum pronomine demonstrativo componitur ut « aliquam rem ante dictam, ut ait Handius Tursell, I, p. 143, vel aliunde cognitam, vel adhuc exponendam majore vi efferat, et in eam convertat præcipuam considerationem. »

Sic *adeo* *Cat.*, 37, 2, legitur in hac enunciatione :

Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii conjunctionis, sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinæ incepta probabat. *Id adeo* more suo videbatur facere.

Haud aliter adhibetur *demum* :

*Cat.* 20, 3.

Idem velle atque idem nolle, *ea demum* firma amicitia est.

In utroque exemplo quod protulimus, *adeo* et *demum* augendi vim habent. Si vero ejus rei similia exempla quæres, brevi notabitur imprimis a personis fabularum Plautii ac Terentii sæpius demonstrativo pronomini vim per eas particulas adjici. Præterea nonne in plerisque linguis sermonem cotidianum juvat quasi confirmare prægressam sententiam per demonstrativum et particulam? Ut igitur opinor, non errabimus, si putaverimus illum usum particularum *adeo* et *demum*, qui tam fre-

quenter in comœdiarum sermone occurrat, sermoni cotidiano præsertim proprium esse, vel potius ex hoc sermone originem ducere, ut deinde vel ab optimis scriptoribus interdum usurpetur.

2. Adverbium etiam a Sallustio frequentissime pro attributo usurpatur. Innumera <sup>cilia</sup> proponit exempla. Inter quæ afferre decet usum adverbiorum.

*Ita Cat.*, 51, 11; 52, 20. *Jug.*, 9, 3; *contra Jug.*, 85, 22; *obviam H.*, 2, 96; *propius Cat.*, 11, 1; *procul Jug.*, 14, 10; *longe, Jug.*, 47, 1. *satis superque Jug.*, 75, 7; *abunde Cat.*, 58, 9; *parum Jug.*, 31, 22; *tutius Jug.* 14, 11; *laxius licentius Jug.*, 87, 4; *facilius Jug.*, 94, 1; *frustra Jug.*, 7, 6.

Quæ adverbia haud aliter atque adjectiva cum verbo *esse* adhibentur. Quid de hac structura sentiendum? Variæ sunt sententiæ. Alii crediderunt hoc ex græco sermone ductum esse, qui non pauca exempla illius structuræ præbet. Alii ex eo quod frequenter comici adverbium pro attributo posuerunt, deduxerunt hoc cotidiano sermoni proprium esse. Alii denique arbitrantur verbo « esse » suam significationem in illa structura permansisse.

Ut Dræger<sup>1</sup> opinatur, non e Græcorum sermone ab Romanis hæc structura accepta est.

Num vero sermonis plebeji hic vestigium nobis apparet? — Profecto aliquot vocabulorum qualia sunt *bene male*, quæque semper cum verbo *esse* consociantur, usus sermoni cotidiano familiaris est. *Bene est, male est* semper in colloquiis usurpantur.

Sed non inde concludendum esse mihi videtur struc-

1. Vid. *Hist. synt.*, I, p. 131.

turam illam tantum plebejam esse. Namque si vim verbi interpretari volemus, notabimus *esse* verbo gravem significationem fuisse. Ea paulatim imminuta est; sed prima permansit significatio hac in re de quo nunc agimus. *Esse* nihil aliud significat ac nostrum *se trouver dans tel ou tel état*<sup>1</sup>, ita ut adverbii usus nihil jam novum nobis præbeat.

Qua ex disputatione dilucide igitur apparet non urbano sermoni alienam fuisse illam structuram. Si locutiones quædam potissimum sermone cotidiano usurpantur, non desunt a quibus scriptores non abhorreere debuerint. Inter quas annumerabimus eas, quarum Sallustius exempla affert.

#### § 8. — De coordinatione et de subordinatione.

Hoc caput brevissimum quidem erit. Quod enim ad coordinationem attinet, nihil dixerimus quod cum hac materia conveniat; de usu coordinantium particularum nihil adjiciendum est. Quod ad subordinationem, multa infinitivo vel conjunctivi usui inseruimus quæ hic repetere supervacuum sit. Disseremus tantum de coordinationis pro subordinatione usu.

Apud Sallustium legitur :

*Cat.* 52, 13 : Bene et composite C. Cæsar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, *credo falsa existumans* ac quæ de inferis memorantur.

De hac structura optime disseruit Dræger<sup>2</sup>. Notat enim in vitæ communis sermone potius coordinationem enun-

1. Vid. Kühner, *op. cit.*, II, 4, 3, p. 7.

2. Vid. Dræger, *op. cit.*, II, 813.

ciationum quam subordinationem adhiberi. Quod testantur comœdiæ, epistolæ in quibus enunciationes non inter se pendent, sed juxta ponuntur.

Exempla plura sunt quam ut ea omnia afferre nobis in mentem veniat. Sed notemus hoc imprimis occurrere cum verbis *credo*, *puto*, quæ ad cavillationem, ut ita dicam, spectant. Ea verba nullo modo in enunciationem valent, sed enunciationi, ut ait Holtzius, παρεμβέτως inseruntur. Ita se res habet, quod ad Sallustium attinet, et si comparationem aliquam instituere satius sit, quo clarius appareat quantum illa verbi *credo* structura sermoni familiari magis propria sit, exempla excerptamus ex comicis Plauto et Terentio, qui frequentissime juxta ponunt duas enunciationes primarias in oratione recta cum verbis (*facio*, *credo*, *opinor*, *fateor*, *censeo*, etc).

Vid. PLAUT., *Amph.*, I, 1, 141. *Aulul. prol.*, v. 39; I, 2, 23; II, 2, 27 sq. 9, 8; III, 6, 32; IV, 5, 4. *Cas.*, II, 6, 31; v. 36. V, 4, 7. *Cist.*, II, 3, 81. *Epid.*, II, 2, 74. IV, 1. *Bacch.*, I, 1, 13; II, 2, 127 sq. *Men.*, V, 5, 62. 9, 99. *Merc.*, I, 2, 94. *Pæn.*, V, 2, 56, 60, 6, 26. *Pers.*, I, 3, 9. *Rud.*, I, 2, 63. II, 6, 49. *Trin.*, V, 115. TER. *Andr.*, II, 1, 13. IV, 1, 49 sq. *Eun.*, V, 2, 59 sq. *Haut.*, IV, 1, 28. *Phorm.*, I, 1, 6. III, 2, 9. *Hec.*, I, 2, 53. IV, 4, 82. *Adelph.*, I, 1, 54 sq. 2, 21. v. 70. II, 1, 9.

Si inquiremus quatenus optimi scriptores *credo* verbum sic usurpaverint, liquebit Ciceronem non solum ita in epistulis *ad Quintum fratrem*, I, 1, 2 scripsisse, sed etiam in *Tusculanis quæstionibus*, I, 22, 52; III, 21, 50; in *Bruto* 58, 2, 10; in primo *de oratore* libro, I, 22, 101 et in *orationibus in Catilinam*, I, 2, 5. Si adjiciemus illam structuram non Cæsari *B. C.*, 3, 70. Livio, 4, 17, 7 alienam fuisse, dilucidum erit, quamvis, ut exempla ex

comicis excerpta, ex epistulis et Horatii sermonibus, 2, 2, 90. 2, 7, 68 demonstrant, sermo cotidianus præcipue illud verbum *credo* enunciationibus inserat, hunc usum tamen non politissimo sermoni alienum fuisse. Hoc rursus docet quatenus misceatur uterque sermo.

## CAPUT V

### DE ELOCUTIONE

---

#### De copia verborum.

In ea disputationis nostræ parte liceat id primum proponere quod non locum in elementis et in syntaxi obtinere potuit. Liceat deinde de illa sermonis abundantia agere, quæ non ea est quæ oratoribus idonea et apta sit, sed de illa quæ in moribus plebis insita est. Hoc enim constat ex supervacuo verborum usu, cujus pauca exempla apud optimos scriptores inveniuntur, quem vero captant homines de plebe, id quod sentiunt quam aptissime et clarissime exprimendi studio impulsæ. Disseramus denique de quadam dicendi figura, de qua inquirendum erit cui potissimum sermoni assignanda sit.

I. *Hostem ferire* non semel apud Sallustium legitur.

*Cat.*, 7, 6 : se quisque *hostem ferire*, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat. — 60, 4 : Catilina multum ipse pugnare, sæpe *hostem ferire*. — *Jug.*, 85, 33 : At illa multo optuma rei publicæ doctus sum *hostem ferire*.

De hac locutione non parum disputatum est. Fabio visum est in hac locutione archaicum quicquam inesse. Herzog hanc formulam interpretatus est non per verba *vincere* vel *occidere*, sed eam ex gladiatorum ludis sumptam esse contendit. Schulze arbitratus est hanc formulam archaicam appellari non posse, in vita cotidiana et Sallustii tempore usitatam fuisse, eamque in formulis usu sancitis esse numerandam. Schmalzius tandem et Krautius eam inter plebeji sermonis locutiones reponunt.

Sane non frequentissime apud Romanos scriptores, quales ad nos pervenerunt, usurpatur. Sane Cicero non exemplum ejus locutionis exhibet, præterquam Ennii memorat versum :

« *Hostem qui feriet, mihi Karthaginiensis quisquis erit.* » Legitur etiam apud Livium 22, 38, 4.

Neque ex ordine recessuros nisi teli sumendi aut petendi et aut *hostis ferendi* aut civis servandi causa.

Num inde apparet sermoni plebejo propriam formulam fuisse?

Non hoc sentimus. *Ferire hostem* nobis nihil aliud significat quam *hostem ferire gladio* aut simpliciter *occidere*. Attamen non negamus hoc forsitan in formulam cecidisse. Sed vix intellegamus cur singularem haberet significationem vel urbano sermoni aliena judicaretur.

II. a) HABERE verbum ab Sallustio in locis adhibetur ubi ab optimis scriptoribus respuitur. Legimus apud nostrum :

*Cat.*, 61, 4: *ferociamque animi quam habuerat vivus.* — *Jug.*, 31, 22 quantum importunitatis *habent.* — *H.*, 1, 41, 10: *habendus metus est aut faciendus.*

Atqui si inquiremus quatenus in his locutionibus mirum aliquid notandum sit, non poterimus non animadvertere illum Vitruvio proprium fuisse usum, dum ceteri scriptores ab eo declinaverunt. Priores tantum, ut ait KOEHLER<sup>1</sup>, Vitruvii librorum paginas perlegat aliquis; statim sub adsp̄ctum cadent :

1 præf. 2 et 3 : *curam habere*. — 3 : *timorem habere*. — 1, 1, 4 : *scientiam habere* — *principatum habere*. — 17 : *scientias habere* — *ingenia habere*. — 2, 9, 12 : *abundantiam habere*, *utilitates habere*, *virtutes habere*. — 8, 1, 2 : *saporem habere*.

Cum in mentem venit ceteros scriptores non ita *habere* verbum usurpasse, clare apparet magnopere homines plebejos singulari studio in verbo *habere* versatos esse, ejusdemque studii participem fuisse Sallustium.

b) Ex omnibus locis quæ verbi *facere* usum præbent afferemus tantum.

*Jug.*, 56, 4 : in porta *pugnam facit*. — 61, 1 : *pugnam facere*.

Dilucidum est *pugnam facere* non latius patere quam simplex *pugnare*. Nonne hic observationem Köhleri subjicere licet? Memorat enim Köhler<sup>2</sup> « plebis maxime esse apud omnes nationes omnibusque in linguis eo verbo, quo actionis notio summatim generatimque exprimitur, velut apud Romanos *facere* ita in circumscribendo uti, ut addatur vocabulum, sive substantivum verbale, sive alius generis, quo species agendi significatur. Quare per se intellegitur hoc circumlocutionis genus in vulgaribus

1. Vid. *Act. Erl.*, I, p. 453.

2. Vid. *Act. Erl.*, I, p. 450.

potissimum scriptoribus inveniri. » Quos imitatus esse videtur Sallustius.

III. Sed, quod ad elocutionem attinet, nihil gravius apud Sallustium haberi potest quam plurima figurarum etymologicarum et alliterationum exempla. Memorare superfluit alliterationis naturam esse <sup>1</sup> « ut duo vel plura deinceps vocabula, quæ tamen nullis grammaticæ legibus inter se conjunguntur, ab iisdem litteris aut syllabis initium capiant » dum figura etymologica ex compositione constat duorum et ejusdem stirpis vocabulorum et ratione quadam grammatica inter se conjunctorum.

Sallustius ad hanc structuram sæpius confugit. Inter alliterationes quas adhibuit Sallustius, ordine alphabetico afferamus.

*Jug.*, 41, 4 : asperius acerbisque. 48, 3 : avido atque harenoso. *Cat.*, 39, 4, clades atque calamitas. 52, 36, convicti confessique. *Jug.*, 21, 2 : fugant funduntque. 24, 3, ferro an fame. 38, 9, fame et ferro. 42, 4, ferro aut fuga. *H. I.*, 49, 24, jus judiciumque. *Cat.*, 51, 5, magna atque magnifica. 23, 3 : maria montesque. 11, 4 : neque modum neque modestiam. 38, 4 : neque modestia neque modus. 21, 1, movere magna merces. *Jug.*, 1, 3 : pollens potensque. *Cat.*, 12, 2 : pudorem pudicitiam, 31, 3 : vas aut vestimentum <sup>2</sup>.

Ex figuræ etymologicæ exemplis quæ Sallustius inquirenti cuiquam præbere possit, excerptamus primo varios *facinus facere* figuræ usus : *Cat.*, 7,6; 11,4; 51,6; 53,2; *Jug.*, 5,4; 32,2.

Afferre deinde libet *Cat.*, 35,3, homines *honore honestatos* videbam.

1. Vid. *Act. Erl.*, II, p. 4.

2. Vid. *Blätter für das Bayerische Gymnasialwesen*, 1880, XVI, 339.

Quid de ejus modi structura sentiendum?

Quinam dicendi generi præcipue propria haberi potest? Hic notandum est, ut opinatur Gustavus Landgraf <sup>1</sup>, alliterationes imprimis occurrere primum in proverbiiis et in locutionibus proverbialibus quæ ab hominibus plebejis et plerumque inveniuntur et valde adamantur, veluti *nec vola nec vestigium, purus putus, factum non fabula, amicus amico*, deinde in judiciali dicendi genere cujus non ita pauca formulæ in communem omnium maximeque hominum plebejorum usum influxerunt, haud aliter atque ex sermone plebejo quædam immigrasse videntur in jurisconsultorum dictionem ut *damnum dare*. Accommodata igitur est hæc structura plebejo sermoni, et quicumque eam usurpat, ut Madvigius ait Cic., *de Fin.*, 2, 95, in nota, sermonem familiarem imitatur. Num vero alliteratio et figura etymologica ab urbano sermone omnino alienæ sunt? Non ita se res habet. Si enim comicis poetis nihil antiquius est quam eæ figuræ, non tamen prætereundum est Ciceronem, inter optimos scriptores, singulari studio dictionem suam maximeque rhetoricam alliterationibus exornasse <sup>2</sup>, et figuris etymologicis admodum æquabiliter in omnibus libris suis usum esse. Ergo vel optima dicendi ratio non formulas eas respuit. Hujus structuræ usus ad judicia singulorum scriptorum et ætatum, ut ait Landgraf, revocari debet, et communicatio quædam hic inter plebejum et urbanum sermonem est instituenda.

1. Vid. *Act. Erl.*, II, p. 1, sqq.

2. Vid. *Act. Erl.*, II, 48, sqq.

## CONCLUSIO

Repetenti mihi quæ supra digessimus, dilucidum est hanc disputationem nostram eo spectasse ut probaret non immerito Sallustianum sermonem legentium animis apparuisse, tanquam nescio quid singulare præberet.

Profecto inter scriptores eminent Sallustius, ut qui non ipsum ætatis suæ sermonem usurpare, sed ex variis fontibus rationem suam scribendi haurire voluisset. Nova scribenti novum sermonem adhibere necesse fuit.

Sed finem, quem nobis proposuimus, attigerimus, si ex disquisitione nostra eluxerit, excessisse modum eos qui apud Sallustium frequentissime archaismos illustraverint, aut eos qui permulta sermonis latini « *vulgaris* » vestigia notaverint. « In medio virtus. » Apud Sallustium, nobis proferre licuit vocabula vel locutiones quæ vel ex vetustiorum scriptorum lectione, vel ex quadam affectatione animi orta sunt; notavimus quoque sermonis cotidiani vestigia, cum, haud aliter atque emendatissimi Romanorum scriptores, adjectiva quædam usurpavit, cum etiam adverbia pro adjectivis, et figuras quasdam adhibuit; notavimus denique sermonem plebejum, quotiescumque Sallustius formas, optimis scriptoribus inso-

litas, elegit, et declinationes vel conjugationes confudit, vim verborum imminuit, et, grammaticæ leges neglegens, cum scriptoribus iis tantum conferri potuit, qui in sermonis plebeji usu versati sunt.

Sed longius processimus. — Exemplo, quantum in nobis est, ostendere conati sumus, si plebejus sermo a cotidiano sermone, qui emendatione longe præstat, accurate distinguatur, si plebeji sermonis significatio in angustissimos fines redigatur, non jam latinitatem in latinis ipsis scriptoribus quæsitum iri, nec (ut sese res sæpius hactenus habuit) sermonis « vulgaris » ubique vestigia adfutura esse.

FINIS



Vidi ac perlegi,  
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,  
A. D. VII Kal. februar., ann. MDCCCLXXXV,  
*Facultatis litterarum in Academia  
Parisiensi Decanus,*

A. HIMLY.

Typis mandetur,  
*Academiæ Parisiensis rector,*  
GRÉARD.

111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200

## I. — INDEX RERUM

---

PROCEMIUM.....	1
PARS PRIMA	
CAPUT I. — QUID DE SERMONE LATINO, QUI « VULGARIS » VOCATUR, SENTIENDUM SIT?.....	13
CAPUT II. — QUATENUS SALLUSTIUS SERMONEM PLEBEJUM AUT COTI- DIANUM IMITATUS SIT?.....	24
PARS SECUNDA	
CAPUT I. — DE ORTHOGRAPHIA.....	33
CAPUT II. — DE FORMARUM USU.....	40
§ 1. — De declinatione substantivorum.....	40
I. De generum formis.....	40
II. De casibus.....	41
§ 2. — De pronominum declinatione.....	44
§ 3. — De verborum conjugatione.....	46
CAPUT III. — DE VOCABULIS.....	50
§ 1. — De substantivis.....	50
§ 2. — De adjectivis.....	60
§ 3. — De conjugationibus.....	68
1° De simplicibus verbis.....	68
2° De verborum frequentativorum et intensi- vorum usu.....	74
3° De compositis verbis.....	83
§ 4. — De particulis.....	89
CAPUT IV. — DE SYNTAXI.....	93
§ 1. — De adjectivis.....	93

§ 2. — De pronomibus.....	98
§ 3. — De verbis. — De temporibus ac modis.....	101
I. De indicativo.....	101
II. De conjunctivo.....	107
III. De gerundivo.....	109
IV. De supino.....	110
§ 4. — De casibus.....	111
I. De genetivo.....	111
II. De dativo.....	112
III. De accusativo.....	113
IV. De ablativo.....	114
§ 5. — De præpositionibus.....	118
§ 6. — De conjunctionibus.....	119
§ 7. — De adverbis.....	120
§ 8. — De coordinatione et de subordinatione.....	122
CAPUT V. — DE ELOCUTIONE. — DE COPIA VERBORUM.....	125
CONCLUSIO.....	130



## II. — INDEX VERBORUM AC LOCUTIONUM

<i>ab Roma</i> .....	116	<i>afflictare</i> .....	79
Ablativus temporis.....	113	<i>agitare</i> .....	73, 79
<i>abunde</i> .....	121	<i>alii pro ceteri</i> .....	100
Accusativus cum <i>potiri</i> , 113, cum <i>vesci</i> .....	114	Alliterationes.....	128
<i>acie pro aciei</i> .....	44	<i>altitudine</i> .....	42
<i>adæquare</i> .....	84	<i>amicus amico</i> .....	129
<i>adæque</i> .....	84	<i>amplexari</i> .....	82
<i>adambulo</i> .....	84	<i>appetiverunt</i> .....	46
<i>adhibo</i> .....	84	<i>apprime</i> .....	84
<i>aderedo</i> .....	84	<i>apprope</i> .....	84
<i>addecet</i> .....	84	<i>asperius acerbius</i> .....	128
<i>adeo</i> .....	120	<i>attinere</i> .....	68, 74
<i>adesurio</i> .....	84	<i>attractare</i> .....	38
<i>adformido</i> .....	84	<i>ausi pro ausus sum</i> .....	49
Adjectiva in- <i>ax, arius, icius,</i> <i>osus</i> , 18; in- <i>arius</i> , 61; in- <i>bilis</i> , 64; in- <i>icius</i> 62; in- <i>osus</i> , 62; cum <i>per</i> .....	63	<i>auxiliari</i> .....	69
<i>adjutabilis</i> .....	84	<i>auxiliarius</i> .....	61
<i>adlaudo</i> .....	84	<i>avidus harenosus</i> .....	128
<i>admoredor</i> .....	84	<i>bene habet</i> .....	23
<i>admolior</i> .....	84	<i>bene est</i> .....	121
<i>adtrepido</i> .....	84	<i>biduom</i> .....	36
<i>advecticius</i> .....	62, 63	<i>cælo terraque</i> .....	117
<i>adventare</i> .....	79	<i>calefaciuntur</i> .....	16
<i>adventicius</i> .....	61	<i>captare</i> .....	80
Adverbium pro attributo... 124		<i>carptim</i> .....	90
Adverbia in- <i>tim, atim, e, ter,</i> <i>89; in e</i> .....	90	<i>catervatim</i> .....	90
<i>Æquabilis</i> .....	64	<i>cautela</i> .....	57
<i>Æstumo</i> .....	33	<i>cervom</i> .....	36
<i>affatim</i> .....	90	<i>cicindela</i> .....	57
		<i>circumcirca</i> .....	23
		<i>civitas pro urbs</i> .....	50, 60
		<i>clades atque calamitas</i> .....	128

<i>cludere</i> .....	23	<i>denegare</i> .....	88
<i>cogundi</i> .....	33	<i>derelinquere</i> .....	88
<i>combibo</i> .....	54	<i>desenescere</i> .....	88
<i>comedo</i> .....	54	<i>detractare</i> .....	38
<i>commaculare</i> .....	86	<i>devincere</i> .....	88
<i>commemorare</i> .....	87	<i>dictitare</i> .....	76
<i>commensus</i> .....	46	<i>dicundi, dicundo</i> .....	33
<i>commercari</i> .....	86	<i>die pro diei</i> .....	44
<i>comminuere</i> .....	87	<i>diverse</i> .....	90
<i>commonefacere</i> .....	87	<i>divulgare</i> .....	36
<i>commorari</i> .....	87	<i>divorsius</i> .....	90
<i>communire</i> .....	87	<i>doctus cum ablativo</i> .....	113
<i>commutare</i> .....	87	<i>dolere cum dativo</i> .....	112
<i>comprobare</i> .....	87	<i>ductare</i> .....	80
<i>conclamare</i> .....	87	<i>Durrachium</i> .....	33
<i>concupiscere</i> .....	87		
<i>condemnare</i> .....	87	<i>ea gratia pro ejus rei gratia</i> .....	97
<i>condonare</i> .....	87	<i>edo</i> .....	54
<i>conducibilis</i> .....	64	<i>emundi</i> .....	33
<i>confertim</i> .....	90	<i>ereptum ire</i> .....	111
<i>confestim</i> .....	90	<i>errationes</i> .....	16
<i>conglobare</i> .....	87	<i>erro</i> .....	54
Conjunctivus pro impera-		<i>exedificare</i> .....	83
tivo, 109; sine ut.....	107	<i>exequare</i> .....	85
<i>conlubere</i> .....	86	<i>exagitare</i> .....	83
<i>conscientia de culpa</i> .....	112 n. 1	<i>exaudiri</i> .....	83
<i>consenuerunt</i> .....	46	<i>excruciabilis</i> .....	64
<i>conspicari</i> .....	69	<i>excruciare</i> .....	85
<i>consternere</i> .....	87	<i>exoptare</i> .....	85
<i>consuefacere</i> .....	86	<i>exornare</i> .....	85
<i>consultare</i> .....	80	<i>expers cum ablativo</i> .....	114
<i>consultor</i> .....	52, 60	<i>expertiones</i> .....	16
<i>convicti confessique</i> .....	128	<i>expurgare se</i> .....	83
<i>credibilis</i> .....	64	<i>exsequendo</i> .....	36
<i>credo</i> .....	122		
<i>cum animo habere</i> .....	118	<i>facere</i> .....	127
<i>Curene</i> .....	33	<i>faciliter</i> .....	16
<i>custodela</i> .....	37	<i>facilius</i> .....	121
		<i>facinus facere</i> .....	128
Dativus, 112; cum <i>decere</i>		<i>factum fabula</i> .....	129
112; cum <i>dolere</i> .....	113	<i>facundia</i> .....	33, 60
<i>deambulare</i> .....	87	<i>fame et ferro</i> .....	128
Declinatio, 41; secunda, 41;		<i>ferociam habere</i> .....	126
tertia, 42; quarta, 43;		<i>ferro aut fuga</i> .....	128
quinta.....	44	Figuræ etymologicæ.....	128
<i>decumus</i> .....	33	<i>sine</i> .....	118
<i>dediticus</i> .....	62, 64	<i>forum illum</i> .....	40
<i>defensare</i> .....	82	<i>fruentos</i> .....	36
<i>deformatio</i> .....	16	<i>frustra esse</i> .....	23, 121
<i>demum</i> .....	120	<i>fugant funduntque</i> .....	128

<i>fugela</i> .....	57	<i>malum = pœna</i> ....	54, 55,	60
<i>furtim</i> .....	90	<i>mandatela</i> .....		57
<i>ganeo</i> .....	54, 60	<i>manifestus</i> .....		33
<i>gavisus pro gavisus sum</i> ....	49	<i>maria montesque</i> .....		128
Genetivus pretii.....	411	<i>maximus</i> .....	33,	34
<i>gerundi, gerundum</i> .....	35	<i>membratura</i> .....		16
Gerundivus pro participio		<i>metum habere</i> .....		126
presenti.....	109	<i>minitari</i> .....		77
<i>glutino</i> .....	41, 42	<i>missitare</i> .....	78,	79
Gradatio per adverbia facta.	93	<i>modo</i> .....		91
<i>gratificari</i> .....	88 n. 7	<i>modum modestiamque</i> .....		128
<i>gulo</i> .....	54	<i>multo cum superlativis</i> , 93,		94
		<i>murtetum</i> .....		35
<i>habere</i> .....	70, 126, 127	<i>nebulo</i> .....		54
<i>habere pro habitare</i> .....	74	<i>negitare</i> .....		78
<i>hæsitare</i> .....	77 n. 1	<i>negotium = res</i> ....	8, 55, 56,	60
<i>honore honestatus</i> .....	128	<i>nisi = sed</i> .....		119
<i>hostem ferire</i> .....	125	<i>nitela</i> .....		57
		<i>nocentur</i> .....		16
<i>ignavus</i> .....	36	<i>non scire</i> .....		71
<i>illim</i> .....	90	<i>novos</i> .....		36
<i>imperitare</i> .....	77, 79	<i>nullibi</i> .....		16
<i>impetrabilis</i> .....	64	<i>nullo = nulli</i> .....		44
<i>includitus</i> .....	35			
<i>incogitabilis</i> .....	64	<i>objectare</i> .....		81
<i>incredibilis</i> .....	64	<i>obsequela</i> .....	56,	60
Indicativus, 101; indicativus		<i>occanere</i> .....	39 n. 1	
pro conjunctivo.....	104	<i>occanuere</i> .....		38
<i>inibi</i> .....	23	<i>occurrere</i> .....		82
<i>intestabilis</i> .....	64	<i>ocissime</i> .....		91
<i>id locorum</i> .....	8	<i>opitulari</i> .....		71
<i>is</i> .....	95	<i>opprimundæ</i> .....		35
		<i>optumus</i> .....	33,	34
<i>jus judiciumque</i> .....	128	<i>ostentare</i> .....		81
		<i>pacificare</i> .....	88,	89
<i>lucessiverunt</i> .....	46	<i>particeps</i> .....		66
<i>legundi</i> .....	36	<i>participem negoti</i> .....	67 n. 2	
<i>Libues</i> .....	35	<i>partiverant</i> .....		48
<i>longe cum super-</i>		<i>partivere</i> .....	48 n. 2	
lativis.....	93, 94 n. 2, 3, 4	<i>parvom</i> .....		36
<i>longurio</i> .....	54	<i>passim</i> .....		90
<i>lubens</i> .....	33	<i>pensi habere</i> .....		111
<i>lubido</i> .....	33	<i>peralbus</i> .....		66
<i>ludificare</i> .....	88, 89	<i>perangustus</i> .....		65
<i>luela</i> .....	57	<i>perastutulus</i> .....		65
<i>lurco</i> .....	54	<i>percarus</i> .....		66
		<i>percontumax</i> .....		66
<i>magna atque magnifica</i> ....	128	<i>percupidus</i> .....		65
<i>magna merces</i> .....	128			
<i>male est</i> .....	121			

<i>perditum ire pro perdere</i> ...	110	<i>purus putus</i> .....	129
<i>perdudum</i> .....	66	<i>quæsere</i> .....	73
<i>Perfectum in ere</i> .....	46	<i>quæsit</i> .....	74 n. 1
<i>perfortiter</i> .....	66	<i>quasi = fere</i> .....	92
<i>pergnarus</i> .....	65, 66	<i>qui pro quis</i> .....	99
<i>peridoneæ</i> .....	65	<i>quippe cum indic</i> .....	103
<i>perincertum</i> .....	65	<i>quis = quibus</i> .....	45
<i>perlonginquus</i> .....	66	<i>quiverunt</i> .....	46
<i>permaxime</i> .....	66	<i>rapo</i> .....	54
<i>permaximus</i> .....	66	<i>referendum</i> .....	35
<i>perniger</i> .....	66	<i>repetunda</i> .....	35
<i>pernimium</i> .....	66	<i>regue</i> .....	44
<i>perparce</i> .....	66	<i>responsus</i> .....	16
<i>perpaucissimus</i> .....	66	<i>retractare</i> .....	38
<i>perpaucillus</i> .....	66	<i>rogitare</i> .....	78
<i>perperam</i> .....	91, 92	<i>salaco</i> .....	54
<i>perplexabilis</i> .....	64	<i>satis superque</i> .....	121
<i>perprospera</i> .....	66	<i>senati</i> .....	43
<i>perpulcher</i> .....	66	<i>senecto</i> .....	67
<i>persolus</i> .....	66	<i>sequela</i> .....	57
<i>pertractare</i> .....	38	<i>socius</i> .....	7 n. 3; 8; 66, 67 n. 2
<i>pertrua</i> .....	66	<i>soluerat</i> .....	48
<i>pertumidus</i> .....	66	<i>soluit</i> .....	48 n. 3
<i>pervarius</i> .....	66	<i>suco</i> .....	54
<i>plostrium</i> .....	23	<i>Sufæ</i> .....	35
<i>pollens potensque</i> .....	128	<i>superjecta</i> .....	39 n. 1
<i>pollicitari</i> .....	78	<i>superjectis</i> .....	38, 39
<i>pollicitatio</i> .....	57, 60	<i>sustentare</i> .....	82
<i>popino</i> .....	54	<i>tocullio</i> .....	54
<i>populares</i> .....	66	<i>transcontra</i> .....	23
<i>popularis</i> .....	7, 3; 8	<i>trico</i> .....	54
<i>portare</i> .....	72, 74	<i>tumulosus</i> .....	62
<i>portatio</i> .....	58, 60	<i>tumulti</i> .....	44
<i>postea loci</i> .....	8	<i>turbela</i> .....	57
<i>postquam cum indic</i> .....	401	<i>turmatim</i> .....	90
<i>potiri cum accusa-</i>		<i>ultum ire pro ulcisci</i> .....	111
<i>tivo</i> .....	413, 413 n. 1	<i>utibilis</i> .....	64
<i>præpedire</i> .....	72	<i>utrique</i> .....	99
<i>præterpropter</i> .....	23	<i>vadam</i> .....	40
<i>privatim</i> .....	90	<i>varo</i> .....	54
<i>Pronomen demonstrativum</i>		<i>vas aut vestimentum</i> .....	128
96, 97; — interrogativum,		<i>Verba in-ficare</i> , 88; compo-	
99; reflexivum, 98; rela-		sita cum <i>con</i> 86; cum <i>de</i> ,	
tivum.....	98	87; cum <i>ex</i> , 85; cum <i>ad</i> ,	
<i>propulsare</i> .....	83	84, in <i>to</i> 79; in <i>ito</i> , 75; in <i>so</i> .	82
<i>prosapia</i> .....	60		
<i>prospectare</i> .....	81		
<i>proximus</i> .....	33		
<i>pudorem pudicitiam</i> .....	128		
<i>pugnam facere</i> .....	127		

<i>verbero</i> .....	54	<i>vola vestigium</i> .....	129
<i>verbum</i> = <i>vox</i> .....	59	<i>volgum</i> .....	40
<i>vesci</i> cum accusativo .....	114	<i>volgus</i> .....	36
<i>vis</i> = <i>vires</i> .....	42	<i>volnus</i> .....	36
<i>vocalis o</i> pro <i>e</i> post <i>v</i> , 37; <i>o</i> pro <i>u</i> post <i>u</i> et <i>v</i> , 36; <i>u</i> pro <i>e</i> , 35; <i>u</i> pro <i>y</i> , 35; <i>u</i> pro <i>i</i> .....	33	<i>voluptabilis</i> .....	64
		<i>vortere</i> .....	39
		<i>voster</i> .....	39



22000  
22001  
22002  
22003  
22004  
22005  
22006  
22007  
22008  
22009  
22010  
22011  
22012  
22013  
22014  
22015  
22016  
22017  
22018  
22019  
22020  
22021  
22022  
22023  
22024  
22025  
22026  
22027  
22028  
22029  
22030  
22031  
22032  
22033  
22034  
22035  
22036  
22037  
22038  
22039  
22040  
22041  
22042  
22043  
22044  
22045  
22046  
22047  
22048  
22049  
22050  
22051  
22052  
22053  
22054  
22055  
22056  
22057  
22058  
22059  
22060  
22061  
22062  
22063  
22064  
22065  
22066  
22067  
22068  
22069  
22070  
22071  
22072  
22073  
22074  
22075  
22076  
22077  
22078  
22079  
22080  
22081  
22082  
22083  
22084  
22085  
22086  
22087  
22088  
22089  
22090  
22091  
22092  
22093  
22094  
22095  
22096  
22097  
22098  
22099  
22100

